



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

4^o Diff. 3000.

CD 49.

H O M O TRIPLICI NATURÆ STATU, THEOLOGICE CONSIDERATUS:

SUB CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS
CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
LEOPOLDI ANTONII
ELEUTHERII,
Archi-Episcopi, & Sac. Rom. Imp. Principis
Salisburgensis &c. &c.

In Alma hac Benedictina Sue Celsitudinis Universitate

P R A E S I D E
P. A L A N O R I T T E R,
Ord. S. Bened. Professo Wessofontano, SS. Theologiaz Doctore, & in Scholasticis Professore Ordinario, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. I. Principis, & Archi-Episcopi Salisburgensis &c. &c. Consiliario Ecclesiastico.

D I S P U T A T I O N I A C A D E M I C Æ
Cum Parergis ex Universa Theologia

S U B J E C T U S , E T D E F E N S U S
à R.R. D.D. JOSEPHO CAJETANO GÖSCHL,
ET LEOPOLDO LAMBRECHT,
Collegii Archi-Episcopaloris Alumnis, AA. LL. & Philosophiaz
Magistris, SS. Theolog. Candidatis, Examinatis, & Approbatis.

Die 26. Augusti, Anno à Partu Virginis M. DCC. XXXIII.
Horis Ante- & Pomeridianis.

S A L I S B U R G I,
Typis Joannis Josephi Mayr, Aulico-Academici Typogr. p. m. Hæredum



*CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO*

**LEOPOLDO
ANTONIO
ELEUTHERIO,
ARCHI-EPISCOPO,**

ET

Sac. Rom. Imp.

**PRINCIPI
SALISBURGENSI,
Sac. Sedis Apostolicæ Legato Nato,
Germaniæ Primati,
EX ANTIQUISSIMIS LIBERIS BARONIBUS
DE FIRMIAN &c.&c.**

**PRINCIPI,
DOMINO, DOMINO
CLEMENTISSIMO.**

CELSISSIME, ac REVERENDISSIME
ARCHI-EPISCOPE,
S. R. I.
PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
CLEMENTISSIME.

VOLUNTATE, & GRATIA Tua fa-
ctum est CELSISSIME PRINCEPS,
ut ad defendendas ex Universa Theo-
logia Theses præ aliis assumeremur:
jam non voluntate nostra, sed necessi-
tate quadam fit, ut illas Tuo Nomini
inscribamus. Cui enim alteri vel potuimus, vel
debuimus easdem sacras facere, quæ Tibi, cui non
tantum præsentes Theses, & nostra omnia, sed
nos ipsos debemus? Recepti sumus in Archi-
Episcopale Collegium Tuum: in eo Virtutis, &
Doctrinæ Seminario per plures annos viximus,
quia

quia vivere didicimus : integrum Theologiæ stadium , & studium emens nullis nostris, vel nostrotum sumptibus : jam eidem Theologiæ coronidem imponimus defensione Thesum, qua coronide vere studium nostrum coronari existimamus. Quod igitur modò facimus, Tua Clementia fecit, ut faceremus : impofuit Illa nobis necessitatem faciendo, quod alii sua voluntate facere consueverunt : Id cum probè intelligerenus, non voluimus Tuæ in nos GRATIÆ injurii esse, reddendo alteri, quod Tibi debemus : quamvis etiam, dum hoc agimus, reddamus tantùm unum pro mille, pagellas aliquas pro Catalogo *Beneficiorum*, verba pro innumeris rebus. Sed & novum beneficium recipimus, dum Tua Celsitudo istas à nobis Theses recipit ; quia nihil, dum sic recipis, accedit Tibi, plurimum dignitatis Thesibus nostris ex hac Tua dignitate : est tamen in illis Nomen Tuum instar Solis, qui solum illuminat, dum huic se se insinuat : instar Solis dicimus Nomen Tuum esse in Thesibus nostris, quo vel solo, quamdiu inclarecent, nullo die obscurabuntur. Nobiles fiunt, dum incipiunt fieri Tuæ, redditque illas illustres Nominis Tui Claritas. Sanè etiam ex hoc felicissimi sumus, & gratiam duplicatam credimus, quòd sub felicissimo Tuo Regimine ex Archi-Episcopali Seminario primi simus, quorum labores literarios ita auspicatò, quia defensione Thesum sub Tuis Auspiciis, coronari voluisti : Id unum nos propè affigit, quòd, dum

dum Tuá Celsitudo præter gratias innumerās alias
suo pagellās nostrās dignatur Nomine , non liceat
nobis per Te pagellīs aliquot Nomen Tuum ce-
lebrare ; quamvis ex nominib⁹ pluribus id nos
præ aliis, non pagellīs tantūm, sed totis volumi-
nib⁹, facere deberemus. Clientes alii dum suis
opera sua inscribunt Patronis, oœcasionem captant,
scribendi eorum laudes, imò quandóque dum non
inveniunt magnas, majores fingunt : nos jubemus
abstinere Laudib⁹ Tuis, quamvis in Te, etiam non
quærentes, maximas inveniamus. Sunt, qui ful-
gent Dignitate, non vitâ: sunt, qui fulgent vitâ,
non Dignitate : Tu emines utrâque : Vix possu-
mus non laudare, etiam nolentem laudari, nisi
prohibeas etiam de Te, de Stemmate Tuo, de Digni-
tate Tua, de Rebus Tuis, de Sapientia, & Virtute
Tua cogitari ; hæc enim omnia in Tua Celsitudi-
ne tam excelsa sunt, ut qui illa vel simplici tantūm
sermone recensuerit, jam ingentem panegyricum
laudum Tuarum peroraverit. Stemma Tuum esse
Illustrissimum, & Antiquissimum nemo nescit, nisi
in fastis, & factis Clarissimorum Virorum hospes,
& peregrinus sit. Sed minima Laus Tua est à tan-
tis Majoribus descendisse : imò horum laus maxi-
ma est, quod sint Majores Tui : crescunt illi ex Te,
postquam Tu ex illis natus : facis immortales jam
mortuos, vivuntque in Te Majores Tui, quamvis
minores Te. Dignitate autem fulges tanta, ut
Majorem Ecclesia tribuere non habeat in Germa-
nia.

nia. Primas es Germaniae, & si Primus, Summus-
que Pontifex fieres totius Ecclesiæ, dicerent omnes,
datum esse Caput Ecclesiæ Romanæ, cuius capa-
citatæ non suffecit una Ecclesia solius Germaniae.
Metropolita es, sed plures Suffraganeos Ipse Tibi
facis : feligis, quos vis, non accipis aliorum suf-
fragiis electos. Res jam Tuæ quamvis sint omnes
insignes, & signa Celsissimi Animi Tui; hoc tamen,
quod, dum nuper montes nostri altius surgere, è
suis emoveri sedibus, ignota sacra velle, non con-
tenti patrio ambire jugum alienum cœperunt,
omnibūs Regioni, & Religioni nostræ ruinam mi-
nitantibūs, cuncta egeris, & feceris, ut cuncta age-
rentur sine tumultu, ut jam inflammati animi non
erumperent in incendium patriæ, ut ruens multi-
tudo non plures secum traheret in interitum, hoc
quantum, & quām præclarum est facinus ? quot
& quantæ in hoc uno facinore reperiuntur virtu-
tes ? terrebamur omnes vicina illorum montium
tempestate : Tua Celsitudo sola stetit immota :
horrendum fremebat tempestas illa, sed infra Te,
Securum Tui, quia supra illa sustulisti Caput, & ad
Celsitudinem Animi Tui emoti montes, & mentes
pertingere non potuerunt : pepercisti furenti mul-
titudini, quæ, si per ipsam stetisset, non pepercis-
set Iibi. Id unum jussisti, ut, qui mallent perire,
quām parere, suo discessu purgarent patriam ; quia
Pastor cavere voluisti, ne morbidæ oves luem spar-
gerent in totum gregem. Magnum quidem hoc

tot millium tuorum discessu accessit, & acerevit
ærario Tuo detrimentum; sed æquissimus rerum
æstimator maluisti detrimentum pati in rebus,
quam animabus, quas perditi illi suô exemplô ivis-
sent perditum, nisi in tempore adhuc sanos à vesanis
separâsses. Et sanè quomodo credere poteras, Tibi
deinceps fore fideles, qui fidem Divinam tanto im-
petu, & insaniâ abjecerunt? ut verò confusio hæc
tolleretur sine confusione, ut tumultuantis populi
furor sisteretur sinè tumultu, quanta opus fuit cir-
cumspetione, & sapientia? & nisi singularis mo-
deratio Tuo insideret Animo, an cum malis ita be-
nè, cum ferocientibus ita humanè, cum turbatis,
& turbantibus ita placatè, & pacatè agere potuisses?
ut autem tempestas illa, quæ terrebat omnes
præter TE, cui maximè imminebat, Animum,
Tuum non concuteret, fecit, & effecit maxima
Tua, & major adversis rebûs omnibûs Fortitudo.
Sed tamen harum omnium virtutum principem
in Te PRINCIPE fuisse Zelum pro Orthodoxa fide
asseverare non dubitamus: Vidisti discessu tot inco-
laruni magnam Regionis Tuæ partem fore dein-
ceps incultam; sed maluisti ferre jacturam agro-
rum, quam sacrorum, pati detrimentum Regionis,
quam injuriam Religionis. Zelus hic ipse Tuus im-
peravit Tibi, ut imperares ex utroque Clero Exi-
mios viros, & inter hos pro Tuâ in nos dignatio-
ne plures ex Collegio nostro, qui abreptos per-
avia ad viam reducerent, qui mederentur malo, &

malè habentibus, qui semen Verbi Divini copiosius
spargerent in montes illos : ea ex eodem Zelo fe-
cisti, & fieri fecisti omnia, quæ , nisi homines isti
circumtulissent mente, montibūs suis duriores, nisi
semen copiosissimè in illos montes sparsum ceci-
disset in saxa montium : nisi obstinati in malum
maluissent perire , quam fedire , uberrimum , cer-
tissimumque fructum eotis qui debuissent. Res
Tuas cæteras , ut & virtutes alias, Sapientiam , &
Scientiam , quæ omnia in Te Sole ut radii , in Te
Cœlo delapso ut Stellæ , copiosissimo fulgore mi-
cant , non recensemus ; quia recensere per Te ,
Tuamque modestiam non licet. De scientiis ta-
men tuis , & liberalibus disciplinis omnibus dicere
per compendium licet , quod eas sic possideas , ut
ethnes profiteri ex Cathedra , aliisque docere pos-
ses , nisi maxima Tua merita majori Te Cathedræ
destinâssent , vel alii digni essent à Te doceri . Jam
iterum ori nostro imponis digitum , imperásque
nobis silentium : acquiescimus volentes animo ,
quod non licet evolvere calamō . Interim opta-
mus . precamurque Tibi integerrimam in annos
plurimos valetudinem , beata , omnique intempe-
tie absoluta tempora , imperturbatum in tuo Prin-
cipatu Regimen , & eorum omnium , quæ medita-
ris , quæ moliris (meditari autem non nisi summa ,
moliris non nisi maxima pro animi Tui Celsitudi-
ni) eorum omnium , dicimus , precamur , opta-
músque Tibi felicissimum auspicium , successum .

& coronidem , & demum post plurimas segetes ,
post maturam Cœlo senectutem inter Beatos co-
ronam : & ita nobiscum optat , precatúrque op-
timus quisque , & nemo aliter , nisi qui virtutem ,
patriam , se ipsum , & felicitatem suan̄ in Tua oce-
rit . Præsertim verò vota hæc sunt Collegii nostri ,
vel potius Tui , quia Tuum fecisti , ex quo illud in
gratiam tuam recepisti : surrexit illud à fundamen-
tis anno abhinc trigesimo quarto per FUNDA-
TOREM JOANNEM ERNESTUM , gloriosissi-
mæ , piissimæque memoriae ARCHI-EPISCO-
PUM ex Tuo Sanguine : ab illo tempore in diez
majora sumpsit incrementa , maxima verò sub Tuō
Regimine : Perge hoc tuum Collegium , & nos in
illo minimos Tuā , qua solebas hactenūs , etiam
deinceps prosequi gratiā : & dicemus TIBI , qui re-
ferre non possumus tot gratias , quo hisce in The-
sibus numerabis litteras , vel apices Litterarum .

**Reverendissimæ , ac Clemen-
tissimæ Celsitudinis Tuæ**

Subiectissimi & humillimi

DEFENDENTES.

AP-

APPROBATIO SAC. FACULTATIS THEOLOGICÆ.

PErlegi non sine maxima animi voluptate *Hominem* hunc in triplici naturæ statu Theologicè consideratum, partum Clarissimo suo Parente dignissimum, qui uti Orthodoxæ Fidei integritatem nullibi dissolvit, nec ullo à morum regulis lapsu excidit, ita insuper Sacrae eruditionis copiosissimo apparatu instructus, solidissimo argumentorum pondere firmatus, purissimo styli nitore exornatus, tam exacta omnium membrorum symmetriâ cohaeret, ut sicut nulli ruinæ obnoxius, sic nec reparationis unquam indigus futurus, quin potius Clarissimi Authoris gloriam, quæ nunquam stare scit, continuâ famæ incrementis ad terminum immortalitatis, statum omnium integerrimum, proiecturus sit. Sic censeo, ominor, atque sincerissimè gratulor.

P. CORBINIANUS THOMAS,
Ord. S.P. Bened. ex Imperiali Monasterio Elchingensi, SS. Theologiaz Doctor, Ejusdémque in Moralibus Professor Ordinarius, Celsissimi ac Reverendiss. Archiepiscopi, & S.R.I. Principis Salisburgensis &c.&c. Consiliarius Ecclesiasticus, Sacrae Facultatis p.t. Decanus.

E L E N C H U S Q U E S T I O N U M E T A R T I C U L O R U M .

P A R S I.

D e S t a t u I n n o c e n t i e O r i g i n a l i s .

Q U Ä S T I O I .

- De homine in Statu Innocentie quoad corpus considerato.
 Articulus I. *Utrum corpus primi hominis sit immediatè à DEO productum?* pag. 5
 Art. II. *An Eva fuerit producta ex cofra viri immediatè à DEO?* 13
 Art. III. *De perfectione primorum Parentum quoad corpus.* 24

Q U Ä S T I O I I .

- De homine in statu Innocentie quoad animam considerato.
 Art. I. *De infusione anime rationalis.* 31
 Art. II. *An, & in quo sensu homo ad imaginem DEI fit creatus?* 40
 Art. III. *An, & quantum Scientiam acceperit primus homo?* 50

Q U Ä S T I O I I I .

- De homine quoad gratiam & dona supernaturalia considerato.
 Art. I. *Utrum primus homo fuerit creatus in gratia?* 66
 Art. II. *De aliis prerogativis, que primus homo habuit, vel habere potuisset in statu Innocentie, si perseverasset.* 78
 Art. III. *De lapsu primi hominis.* 88

P A R S I I .

D e S t a t u n a t u r a e l a p s a .

Q U Ä S T I O I .

D e peccato habituali & originali.

- Art. I. *In quo peccatum habituale confitat?* 99
 Art. II. *De peccato Originali, & ejus Propagatione.* 109
 Art. III. *Quomodo Originale posteris sit voluntarium?* 119

Q U Ä S T I O I I .

D e quidditate & subjecto peccati Originalis.

- Art. I. *In quo confitat essentia peccati Originalis?* 131
 Art.

- Art. II.** Quomodo peccatum Originale propagetur ad posteros? 140
Art. III. De subiecto peccati Originatis. 144

Q U Ä S T I O III.

- De vulneribus aliis potentiis à peccato originali inflictis,
 & poena ejusdem.
-
- Art. I.** An, Et in quo sensu potentie animae dici possint subiectum peccati Originatis? 156
Art. II. De vulneribus aliorum potentiarum. 165
Art. III. De poena peccati Originatis, Et personalis in altera vita. 171
-

P A R S N L

De Statu naturæ reparata.

Q U Ä S T I O I.

- De quidditate Sacramenti tam Metaphysica quam Physica.
-
- Art. I.** Quid nominis, Et rei sit Sacramentum? 189
Art. II. Quale signum sit Sacramentum? 195
Art. III. An ad Sacramenti definitionem etiam pertineat ratio cause? 202
Art. IV. An Sacraenta consilient essentialiter rebus, Et verbis? 212

Q U Ä S T I O II.

De efficacia seu causalitate Sacramentorum.

-
- Art. I.** An Sacraenta nostra causent gratiam, Et quomodo? 226
Art. II. De effectu primario Sacramentorum. 234
Art. III. Quenam Sacraenta causent gratiam primam, Et quae secundam? 240

Q U Ä S T I O III.

- De aliis salutis acquirendæ remediis in statu naturæ reparatae.
-
- Art. I.** De Effentia Pœnitentie. 248
Art. II. In quibus verbis consistat absolutio? 256
Art. III. Utrum Contritio debeat esse universalis? 268
Quæres I. An Pœnitentia se extendat ad omnia prorsus peccata? 279
Quæres II. Quanta sit efficacia Pœnitentie ad restituendas virtutes deperditas, Et merita? 284

P A R S



PRAEFATIO.

Quamvis Dei opera juxta Idæam producentis sint omnia perfecta secundum illud Deuter. 32. v. 4. *DEI perfecta sunt opera &c.* quod etiam patet ex Genesi 1. à versu 3. ubi saepius repetitur illud in opere quinque dierum, formationem hominis antecedente: *Vidit DÉUS, quod esset bonum,* & demum die 6. homine etiam cœrato concluditur: *Viditque DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Nihilominus inter omnia, quæ priorib[us] dieb[us] producta sunt, homo præcellit, velut opus ultimum, & totius creationis consummativum, sicque suō modō collecta tenet, quæ in aliis dispersa sunt. Teste S. Augustino lib. 6. de Genesi ad litteram cap. 12. *Hoc excellit in homine, quia DÉUS ad imaginem suam hominem fecit propter hoc, quod dedit ei mentem intellectualē, quæ præstat prioribus:* de qua imagine infrā. Sed licet homo, quia ratione præditus, alias creaturem antece-


A

dat,

dat, mutationi tamen subiectus est, sive illam secundum corpus, seu animæ potentias consideres; primum illud quoad corpus communæ habet cum aliis animantibus, corruptioni obnoxiis, alterum cum Angelis, quibus, sicut est ratione suppar, ita in electione objecti inferior, & omnino dissimilis, cùm à bono transfeat ad malum, & à malo ad bonum redeat, quod ultimum S. Thomas negat Angelis, tanquam apprensò semel perfectè objecto, & deliberatè electo inflexibilis arbitrii sint, nunquam ad bonum redituri. De quo tamen hic non agimus, sed tantum de homine, cujus mutabilitatem, & ex hac ipsa Divinæ miserationis in illum affluentiam pro triplici ejusdem statu considerabimus, primò de statu Innocentiae primævæ, posteà de lapsu, & denique *de ejusdem per Christum Dominum reparatione dicturi, observatâ in omnibus Sacrae Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. sententiâ.*



PARS



P A R S I.

De statu Innocentiae originalis.



Tatus Innocentiae, seu Justitiae originalis, in quo homo à DEO conditus est, erat primus, & omnium præcipuus; quia non solum erat ornatus omni perfectione connaturaliter debita, cum subiectione partis inferioris, scilicet sensitivæ ad partem superiorem, nempè ad rationalem; sed etiam prædictus gratiâ, & donis supernaturalib[us], vi quorum anima plenè erat subiecta DEO. Præ aliis hunc felicissimum statum describunt Sancti Anselmus *lib. de Concordia. quest. 3. cap. 13.* & Doctor Angelicus in *Compendio Theologie. cap. 186.* Cujus mentem tanquam Ducis nostri attendimus, explicationem autem licet profundam, clarissimam tamen, quia fusa est pro angustiis foliorum, ad verba nostra constringimus, fideliter autem sensum, seu ut in scholis dicitur, substantiam relaturi.

Status Innocentiae erat ille, ubi corpus ex toto erat subiectum animæ, anima autem, seu ratio erat subiecta DEO tanquam primæ Regulæ. Ex primo sequitur, quod nulla passio in corpore repugnat dominio animæ; proin erat tranquillitas in homine, ratione nullis passionib[us] turbata: & homo omnia referebat in DEUM ut finem, & in hoc consistebat ipsius justitia, & innocentia. Hanc tamen perfectionem non habuit homo ex ipso

ipsa natura, qua sicut contrariis elementis constabat, ita quantum est ex se, qualitatibus repugnantibus poterat infestari, nisi à ratione cohiberentur. Similiter appetitus inferiores, cum ex-natura moveantur in sua objecta delectabilia, poterant facere repugnantiam animæ, nisi ab illa intra rectos fines continerentur, & anima ipsa DEO plenè subjiceretur. Ex quo pulcherrimus subjectionis ordo dignoscitur, ita ut nulla potuerit contingere deordinatio, quamdiu anima DEO adhærebat: unde, ut infert S. Thomas, quædam immortalis vita, & impassibilis erat, quæ scilicet nec mori, nec pati poterat, si non peccasset; peccare tamen poterat homo hoc ipso; quia plena gaudebat libertate, voluntate nondum per adoptionem finis ultimi confirmata. Peccatō autem suppositō, & hoc ipso statu Innocentiae destructo mori potuit; & pati, quod ille primus expertus est, & modò nos experimur miseri, peccato illo in nos propagato, & prædominante.

QUÆSTIO I.

De homine in statu Innocentiae quoad Corpus considerato.

Sanctus Thomas, dum prima Parte suæ SUMMÆ, quæ est ultimum ipsius opus in Scholasticis, *Ques.* 90. agit de prima hominis productione, initium sumit ab anima, occasione forte desumpta, quod in prioribus *QQ.* egerit de anima rationali, ejusdemque potentias in genere, statim transeundi ad animam primi hominis: aut volens auspicari à principaliori, de anima primam *Quæstionem* instituit. Nos more in aliis S. Thomæ familiari incipimus à Corpore, veluti ab imperfectione-

Utrum Corpus primi hominis sit immediatè à DEO &c. 5

fectioribus ad perfectiora ascensuri, præsertim cùm & S. Scriptura Genesis 2. cap. versu 7. priùs dicat de corpore: formauit igitur DEUS hominem de limo terræ, quod supra corpus appellat. Sit igitur cum S. Thoma i. p. quest. 91.

A R T I C U L U S I.

*Utrum Corpus primi hominis sit immediatè à DEO
de limo terræ productum?*

Duo Articulus continent, nempè subjectum, tenui materialiam ex qua, quam S. Thomas articulo 1. pertractat: & causam immediate efficientem, de qua agit in articulo 2. nos brevitatis causâ utrumque uno articulo complectimus. Quoad primum

Dicendum: Adam quoad Corpus non fuit ex nihilo productus, sed ex limo terræ.

Conclusio patet ex cit. cap. Genesis 2. versu 7. & passim ex Scriptura, sic Job. capite 8. alloquitur DEUM: tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Ewan, & ut vera terra fuisse censeatur, ex qua formatus est Adam, expressit Isaías cap. 64. v. 8. dicens: Pater noster es tu, Et nos lutum, factio noster es tu, Et opera manuum tuarum omnes nos. Ex quibus manifestum est, productionem Adæ de facto non fuisse ex nihilo, cùm ex subiecta materia contigerit. Quæ autem illa, & qualis fuerit: sicut omnes conveniunt, fuisse substantiam terream ex Apostolo Roman. 9. Primus homo de terra terrenus: ita discrepant in eo, quænam fuerit pars illa terræ? aliqui apud Suarez lib. 3. de hominis creatione, ac statu INNOCENTIA, existimant, illam terram à quatuor partibus orbis, Oriente, Occidente, Meridie, & Septentrione desumptam esse, quia in quatuor litteris, quibüs constat nomen *Adam*, secundūm linguam græcam illæ quatuor terræ partes signo.

- significantur, pro qua opinione adducitur S. Augustinus tractatu 9. & 10. in *Joan.* qui tamen solum illam explicationem Nomini notat, Venerabilis autem Beda ita sentire dicitur super *Joanicas.* Tribuitur etiam S. Cyriano in tractatu de montibus *Sina*, & *Sion.* Videtur tamen Venerabilis Beda locutus fuisse ex opinione non tam sua, quam aliorum, ut fieri consuevit, dum sententias Authorum referimus, quibus tamen non accedimus. Ratio hujus pro Ven. Beda est, quod in expositione cap. 4.
- ³ Genesim dicat, per quatuor illas litteras in Nominis *Adam* significari, quod in quatuor illis partibus terrae per suos regnaturus sit, ut hodie constat, progeniem Adami post diluvium universale divisam modo illis partibus dominari. Quidquid de Mystica illa nominis *Adam* significatio sit, nos de qualitate terrae hic querimus; Josephus lib. I. Antiquitatum cap. 2. apud Suarez cit. loc. ait, nomen *Adam* secundum linguam dicere *rufum*, & ideo sic compellatum fuisse primum hominem, quia de rufa terra fermentata est factus; *talis enim est intacta terra,* & vera. Confessit etiam Venerabilis Beda, dum inter alias nominis *Adam* interpretationes etiam collocat, quod significet *terram rubeam*, quae non probantur Suarezio, existimanti, illum colorem rubeum non esse naturalem terrae, tanquam elemento in sua puritate sumpto. Et revera philosophice discurrendo, elementa sunt corpora simplicia, excludentia coloris, vel alterius accidentis sensibilis extrinsecè advenientis; nec etiam verosimile est, in terra mixtionem aliquam contigisse, ex qua color ille rubeus resultasset.
- ³ Alii dicunt, quod DEUS hominem finxerit ex pulvere, & aqua; atque hoc deducunt ex modo loquendi Hebraice & Chaldaice: *finxit DEUS hominem pulverem e terra,* ubi septuaginta ita vertunt: *formavit DEUS homi-*

Utrum Corpus primi domini sit immediatè à DEO &c.

minem, puto erent accipiens è terra, ut apertius explicarent sensum lectionis Hebraicæ & Chaldaicæ: & quidem pulverem non qualem cunque, sed tenuem, & minutum, ac subtilem putant. Sed quomodo cunque, & ex qua cunque materia terræ sit formatus homo, certè ex luto emerit; nam æquè ex pulvere, & aqua fit lutum; unde dicit S. Augustinus lib. 13. de Civit. Dei: *five autem formavit, five fixxit, ad rem nihil interefit, magis tamen propriè dicitur, FINXIT.* Sed ambiguitas visa est devitanda iis, qui FORMAVIT dicere maluerunt, eo quod in Latina lingua illud magis obtinuit consuetudo, ut ii dicantur fingere, qui aliquid mandacio simulante compoant. Existimat igitur sapientissimus Suarez cit. loc. aliud nihil, nempe certum, de limo illo dici posse, nisi quod fuerit quædam illius terræ pars, in qua creatus est Adam.

Cæterum monet hic S. Rupertus noster Tuitiensis 4
lib. 2. cap. 20. de Trinitate, operæ pretium esse, saepius recordari Originis nostræ; *boc namque sicut dictum erat*, ait, perpendentes homines sancti ipsum creatorem suum PLASTEN, seipso autem LUTUM appellaverunt eleganti confessione, & lacrymosa declamatione. Et nunc Domine, ait Isaías cap. 64. suprà à nobis relatus: *tu Pater noster es, & nos lutum, & factior noster es, & opera manuum tuarum omnes nos.* Et Jeremias cap. 18. loquitur idem: *PLASTES noster DEUS: munquid sicut figuris iste, non potero vobis facere domus Isræl?* Ecce! sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea. - - Hinc idem Isaías comminatur: *Vx! qui contradicis factori suo, testa de sanctis terra.* Hæc, & illis similia sciens ille Jurisperitus coelestis Paulus ait ad Romanos cap. 9. *O! bono tu quis es, qui respondeas IDEO? munquid potest figuratum dicere ei, qui se fixxit? quare me fecisti sic? aut munquid non habet potestatem figuribus facere de eodem luto aliud quidem vas in bonorem: aliud verò in contumeliam?* Profectò Originis nostræ

stræ consideratio amplam nos ipsos humiliandi occasio-
nem, & Verbi Divini Prædicatoribus materiam præbet,
pulcherrimos exinde conceptus formandi.

Hæc interim de materia productionis nostræ ex aliis
Authoribus collegimus; nunc S. Thomas Doctor Ange-
licus, quid sentiat, audientius est; Ille igitur præfè insi-
stens textui S. Scripturæ *formavit D.E U.S. botinum de limo*
terre. cit. loc. art. I. in Corpore, postquam ostendit, ho-
minem quodammodo *ex* rebus omnibus esse composi-
tum, dum de genere spiritualium substantiarum habet.
in se animam rationalem: de corporibus coelestibus elon-
gationem à contrario propter maximam in primo statu
complexionis æqualitatem: de elementis *substantiam*, non
formaliter acceptam, sed *virtualiter*, quatenus eorum qua-
litates, seu virtutes continet; nec enim unquam in Phi-
losophicis S. Thomas admisit, quod elementa maneat
formaliter in mixto; postea ait, elementa superiora præ-
dominari in homine NB. secundum *virtutem*, non secun-
dum *substantiam*: elementa verò inferiora abundare se-
cundum *substantiam* potius, id est, secundum quantita-
tem molis, ut ipse S. Doctor statim expressit his verbis:
*aliter enim non posset esse mixtionis æqualitas, nisi inferiora ele-
menta, que sunt minoris virtutis, secundum QUANTITA-
TE M in homine abundarent.* Denique concludit, corpus
hominis de limo terræ formatum esse, quia limus dicitur
terra, aque permixta, Et propter hoc homo dicitur minor mun-
dus; quia omnes creature mundi quodammodo inveniuntur in
eo. Ex hactenùs dictis resciditur error Origenistarum di-
centium, Adæ formationem de limo terræ allegoricè, &
figuratè accipiendam esse, non historicè intelligendam,
quæ opinio damnata est à Synodo sexta Constantinopo-
litana *Actione II.* cum sit contra Scripturam, SS. Patres,
& Scripturæ Interpretes. Aperti sunt illi textus Eccle-
siast.

siaſt. 33. omnes homines ex solo, & ex terra, unde Adam formatus est. & Sap. 10. illum, qui primus formatus est à DEO, Pater orbis terrarum eduxit de limo terræ.

Dices contra nos : omne corpus naturale est mixtum, & omne mixtum conſtat ex quatuor elementis alteratis : ergò etiam Corpus primi hominis ex elementis conflatum est : sed juxta nos corpus Adæ ex duobus solum elementis est formatum, scilicet ex terra, & aqua : ergò non conſtat ex quatuor elementis, conſequenter non est corpus verè, & adæquatè mixtum.

Respondeo, corpus Adami verè ex quatuor elementis fuisse factum, quamvis Scriptura de illis nihil dixerit ; nam S. Thomas cit. *questione*, & articulo cum aliis Sanctis Patribus & Doctoribus judicat, compositiōnem humani corporis fieri debuisse ex materia quatuor elementorum : cuius ratio est, ut homo haberet convenientiam cum inferioribus corporibus, quasi medium existens inter spirituales, & corporales ſubſtantias. Quod verò S. Scriptura omnia elementa non expreſſerit, rationem dat S. Thomas ibidem ad quartum dicens : *de aliis autem elementis Scriptura mentionem non fecit* : tum, quia minus abundant secundum quantitatem in corpore hominis : tum etiam, quia in tota rerum productione de igne, & aere, quæ ſensu non percipiuntur à rudibus, mentionem non fecit Scriptura, quæ rudi populo tradebatur.

Dicendum eſt II. Corpus Adami immediatè eſſe productum à DEO.

Colligitur tum ex Genesi cit. loco, cùm etiam ex aliis Scripturæ textibus, quos anteā retulimus, quibus S. Thomas addit in hac quæſtione illud Ecclesiastici 17. *DEUS de terra creavit hominem* ; & dein in Corp. articuli 2. ait : dicendum, quod prima formatio corporis humani non potuit eſſe per aliquam virtutem creatam, sed immediatè à DEO. Ratio S.

Doctoris in hanc formam redigi potest. Si corpus Adami non fuisset immediatè factum à DEO, fuisset formatum à creatura Angelica; quia tunc alia creatura non fuisset capax imperii Divini de formatione corporis adimplendi: sed à creatura Angelica ordinariè corpus formari non potuit: ergò fuit immediatè à DEO. Majeorem suppono ex ratione adjecta. Minor prob. creatura Angelica non potest transformare corpus ad formam aliquam, nisi adhibitis seminibūs quibūsdam: sed ibi nondum erat quoddam semen hominis, cùm Adam fuerit primus: ergò à creatura Angelica ordinariè corpus Adami formari non potuit. Major est expressa à S. Thoma in Corp. ubi etiam allegat S. Augustinum in lib. 3. de Trinitate. cap. 94. idem dicentem.

Sed probatur etiam ratione eadem propositio: connaturaliter, & ordinariè loquendo illa organizatio proxima, de qua formatione hic loquimur, & ad animæ receptionem præparata connaturaliter est generantis mediante semine: ergò cùm ibi non fuerit facta organizatio à generante mediante semine, facta est immediatè à DEO ipso. Certè si Angeli possent ordinariè ita organizzare corpus, & præparare ad receptionem animæ, DEUS connaturaliter deberet tali corpori infundere animam, quia nec homo generans aliud præstat, quam dictam organizationem, & ideo dicitur Pater geniti, & causa principalis: ergò & Angeli possent dici Patres, & causa principalis, quod nimium, & vel ideo absurdum est: & in nostro casu, si Angeli ita corpus disposuissent, dici possent, *Concreatores, seu potius CONFACTORES*, quod erroneum esse censet Suarez bīc, & alii quamplurimi; quia repugnat Scripturis ex Genesim 1. Et 2. & cit. Ecclesiastici 17. 1. ad Corinthios 10. & ad Colossenses 3.

Et denique deduci posset, quod, si Angeli ita concur-

rif-

rissent ad formationem corporis Adami, etiam, & majori ratione ministerium suum contulerint ad productionem aliorum animalium, quod iterum videtur absurdum, cùm nec vestigium hujus in Scriptura appareat.

Hoc denique dissimulari posset, si dicerentur Angeli collegisse pulveres, vel materiam illam ad corpus hominis formandum, & sic aliquod ministerium præstitisse in formatione hominis, præsertim cùm illa cooperatio non fuisset ad creationem, quia jam supponebatur materia scilicet secunda; ut proin ad illam disponendam concurrerint, non tamen ad perfectam organizationem, de qua diximus. Illud prius videtur saltem de possibili absque miraculo admitti posse, dum cit. loc. S. Thomas, ait: *potuit tamen fieri, ut aliquod ministerium in formatione corporis primi hominis Angeli exhiberent, sicut exhibebunt in ultima resurrectione, pulveres colligendo.* Potuit, dixit S. Thomas, nec tamen asseruit, factum esse, sicut nec illud certum est, quòd in resurrectione sint collecturi pulveres, cùm DÉUS omnia per se possit.

Quòd verò aliqui dicant, ab Angelis formatam esse statuam luteam, aliqualiter hominis formam præsentem, quam posteà DÉUS expoliverit, & carnem reddiderit, debitisque organis instruxerit, videtur figuramento similius, quam formationi tali statuæ, cùm nullibi hujus extet indicium in Scriptura.

Nec ex illo deduci potest, quòd Angeli fuerint cooperatores, dum DÉUS quasi in PLURALI dixit: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram,* ac si cum Angelis fuerit locutus; qui error teste S. Augustino lib. 12. de Civitate DEI. cap. 24. ex Timo Platonis de sumptus fuerit, quem secuti sunt alii, ut Basilides, Cherrintus Hæreticus, jam tempore Apostolorum infamis, ut refert Prateolus de Vitis, Sectis, & Dogmatibus Hæretico-

ticorum, & Manichæi, quam opinionem etiam Judæis attribuit S. Chrysostomus *Homil. 8. in Genesin*; Nam Catholica doctrina est, ait Suarez & Ulloa, quam post S. Thomam defendunt Theologi, illum textum non esse intelligendum de Angelis, quasi homo factus sit ad imaginem Angelorum, quod negant præcipui ex SS. PP. Chrysostomus loc. *statim cit. Ambrosius lib. 6. Hexameron. cap. 7.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Julianum, & alii, præsertim Augustinus lib. 9. de *Genesi ad litteram cap. 15.* & lib. 16. de *Civitate Dei. cap. 6.* ubi negat, illud: faciamus hominem, posse de Angelis intelligi, quia additur: ad imaginem, & similitudinem nostram; nefas autem est, ait ibi, credere, ad imaginem Angelorum hominem factum. Reetiùs ergò cum SS. PP. Epiphanio, Cyrillo, quos adducit Suarez cit. loc. Hilario lib. 4. de *Trinit.* Athanasio *Orat. contra Idola,* & aliis præsertim cum Augustino verba illa facianus &c. intelliguntur de Tribus Personis Divinis, cùm opera in Divinis ad extra sint toti SS. Trinitati communia; quòd verò in sola hominis creatione eo modo loquendi utatur Scriptura, non item de aliis anteà jam creatis, S. Scripturæ Interpretes congruentias assignant, hominis inter alia excellentiam commendantes; nam Pererius lib. 4. in *Genesis caput primum* ait, Patres tradidisse, quòd DEUS quasi cum ratione, & consilio accesserit ad creandum hominem, ut significaret, id, quod creandum erat, fore longè præstantissimum, quia ratio, consilii, & prudentiæ, ac sapientiæ particeps, quod rebus anteà creatis multò intervallò antecelleret: pro quo adducit S. Gregorium lib. *Moralium 6.* hoc totum explicantem, qui, postquam dixit, Patrem æternum quidem omnia fecisse per VERBUM simplici imperio fiat; quando tamen ventum est eò: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ita dicit Magnus Gregorius: videlicet, quia

quia rationalis natura condebatur, quasi cum confilio facta vide-
retur: quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione Con-
ditoris virtute spiritus vite erigitur, ut scilicet non per jussione
vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad Condito-
ris imaginem siebat. Plura talia ob foliorum angustias ta-
cco, quæ deduci possent ex S. Ruperto nostro, præsertim
ex Exordio lib. 2. de Trinit. ubi de istis sublimè, & ele-
ganter discurrit, sicut & alibi.

ARTICULUS II.

*An Eva fuerit producta ex costa viri imme-
diatè à DEO?*

Sanctus Thomas in *Quest. 92. 1. Partis* quatuor examinat. I. Utrum in illa rerum productione debuerit mulier produci? II. Utrum debuerit fieri de viro? III. An de Costa, & IV. an immediatè à DEO?

Quoad I. respondet affirmativè ex illo *Genes 2. not* est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Hoc adjutorium non est sumendum ex eo, quod fœmina data sit viro, ut ipsum in operibus adjuvaret, sicut aliqui illum textum accipiunt; cum Adam ab alio viro magis juvari potuisset, quam ab ulla fœmina; sed adjutorium fœmina dicitur in ordine ad generationem, qualis etiam fuisset in statu *Innocentia*, si durâsse, ut cum D. Thoma defendant communiter Doctores alii.

Ex hoc potest occurri aliquibus Philosophis, dicentibus, fœminam esse monstrum, quod & ego aliquando in Philosophia non adeò improbabile existimavi, ex his rationibus.

I. Monstrum communiter dicitur, quod fit effectus naturalis, à recta, & solita secundum speciem dispositione degenerans: sed fœmina est effectus à recta, & solita disposi-

sitione degenerans: ergò est monstrum. Major est communis Philosophorum; Minor probatur: nullum agens intendit id, quod est imperfectius: sed foemina est imperfectior, quam mas: ergò nullum agens intendit foeminam: subfumo: sed si agens non intendit foeminam, tunc per accidens contingit foemina, quia agens intendit masculum.

II. Hinc Aristoteles lib. 2. de Generat. animatum. cap. 3. ait, quod foemina sit mas occasionatus, quæ verba explicans S. Thomas, ait: *foemina est aliquid deficiens, & occasionatum, quia virtus activa, quæ est in semine Maris, intendit producere sibi simile perfectum secundum masculinum sexum, sed quod foemina generetur, hoc est propter virtutis activæ debilitatem, vel propter aliquam materie indispositionem: quod autem ita producitur, plerumque monstrum appellatur.*

III. Videtur etiam contra foeminas, quod sacer tex-tus Evam non vocet *bominem*, sed *adjutorium simile*, con-sequenter foemina propriè non est *bomo*, sed tantum si-milis *bomini*; *bomo* enim dicitur ex eo, quod sit de *bomo* factus, quod non competit Evæ.

12. Dixi autem, *Pbilosophis occurri posse ex ipso textu*; nam hoc ipso, quod foemina data sit viro in *adjutorium generationis*, & *generatio per se* sit à DEO tanquam Natura naturante intenta, utraque pars generationis, mas. & foemina intendi debuit, quod autem à natura ipsa intenditur, non fit per accidens. Unde

Ad I. Respondeo, rationes de productione ordi-naria foeminae per viam generationis procedere in eo sen-su, quod generans particulari appetitu intendat quidem masculum tanquam aliquid perfectius, appetitu tamen naturæ universali etiam appetat foeminam tanquam ne-cessariam ad propagationem speciei humanae.

Ad II. dico, quod foemina quidem in generatione ordinaria proveniat ex debilitate virtutis seminalis, re-spe-

spectivè ad intentionem particularis agentis, sed tamen propter intentionem naturæ universalem, non volentis semper virtutem perfectam, fiat per se; quomodo enim si generarentur meri masculi, propagationi speciei humanae esset provisum? utique cessaret generatio, quæ tamen à natura per se est intenta? atque hoc ipse S. Thomas cit. loc. ad I. in subsequentibus, postquam dixit, quod per respectum ad naturam particularem fœmina sit aliquid deficiens, & occasionatum, inferius adjungit ista: *sed per comparationem ad naturam universalem, fœmina non est aliquid occasionatum, sed est de intentione naturæ ad opus generationis ordinata: intentio autem naturæ universalis dependet ex DEO, qui est universalis Auctor naturæ. Et ideo instituendo naturam, non solum MAREM, sed etiam FOEMINAM produxit.*

Ad III. nego, quod textus obsit Evæ; nam illud *ad-jutorium simile non meram similitudinem accidentalem, quæ fundatur in qualitate, sed innuit convenientiam in prædicato specifico.* Quod verò Adam vocetur *bomo*, inde provenit, quia *immediatè* formatus est ex *humo*, & Eva *mediatè*, quatenus costa Adami erat facta ex *humo*; ex hoc tamen non sequitur, quod Eva non sit *bomo*; cùm juxta Philosophos mas, & fœmina univocè convenientia specie humana. Dici etiam potest, Adamum vocari *bominem* per excellentiam, quatenus est caput mulieris. Deinde nunquid *Genesis I. v. 27.* Eva etiam dicitur *bomo*: *Creavit DEUS bominem ad imaginem suam: ad imaginem suam creavit illum: masculum, & fœminam creavit eos.*

Ad 2. Quest. S. Doctor iterum affirmativè concludit 13 ex ratione prorsus congrua; cùm enim mas, & fœmina individuam vitæ societatem ineant: & sèpè viri suas uxores non adeò constanter debito affectu prosequantur, DEUS hac ex viro productione consuluisse videtur fœminis;

minis ; ait enim S. Thomas , hoc ideo factum , ut vir magis diligeret mulierem , Et ei inseparabilis adhæreret , dum cognosceret , eam ex se esse productam . Et revera ipsa Scriptura huius productionis effectum insinuasse videtur , dum Genes. 2. versu 23. Et 24. ait : De viro sumpta est : quamobrem relinquit homo patrem Et matrem , Et adhærebit uxori sue ; & certum est , quod , si utraque pars ad invicem juxta institutionem recte convenient , quietum & felicissimum sit conjugium . Quod duas Quæstiones principales concernit ,

¶ 4 Dicendum : Eva fuit ex costa Adami immediate à DEO producta .

Colligitur posterius ex textu Scripturæ Genes. cap. 2. v. 21. ubi dicitur : Immisit Dominus DEUS soporem in Adam , cùmque obdormisset , tulit unam de costis ejus , Et replevit carnem pro ea , Et NB. edificavit Dominus DEUS costam , quam tulerat de Adam , in mulierem .

Tantæ molis erat mulierem condere ! & tamen , ut suprà memini , aliqui foeminam etiam monstrum dicunt . Quod Eva sit immediate à DEO ex costa Adami , eo ferme modo probatur , quo ostenditur , Adamum ex limo terræ tuisse immediate formatum à DEO : ita quidem S. Thomas cum S. Augustino , quem allegat in respons. sed contra in hoc articulo dicentem : formare , vel edificare costam , ut mulier esset , non potuit nisi DEUS , à quo universa natura subsistit .

S. Thomas huic Authoritati , & rationi de formatione Adami insistens , repetit , non posse Angelos assumi ad productionem ullius hominis , consequenter nec mulieris ; quia sine semine non fit productio , nisi à solo DEO , ut prius dictum est . Quod verò S. Augustinus lib. 3. de Trinit. dicat , corporalia dispensari à DEO per Angelos ; cùm ergo de corpore Evæ sit quæstio , dici posset , factum esse ab Angelis .

Re-

Respondeo, id quidem sèpè fieri, dum Angelis Philosophi ex Thoma concedunt quorundam corporum, etiam animalium saltem imperfectorum productionem, ex disposita materia, uti sunt vermes, aliisque, quæ communiter appellantur *insecta*, aliud est de homine, & aliis perfectis animalibus.

Rationem dant Philosophi cum S. Thoma *ex eo*, quod animalium imperfectorum semina sint dispersa *ex* prima institutione talium creaturarum, & hoc de animalibus perfectis non procedit, cùm fiant per veram generationem. In ipsis autem nihil ponimus, sed tantum, ut S. Augustino responderemus ad mentem S. Thomæ.

Dein S. Augustinus, quem S. Thomas iterum adducit *q. super Gen. ad lit.* ubi fatetur, se nescire de formatione Evæ, an Angeli concurrerint, ait enim: *An ministerium Angeli exhibuerint DEO in formatione mulieris, nescimus: certum tamen est, quod sicut corpus viri de limo non est formatum per Angelos, ita nec corpus mulieris;* infert S. Thomas, *fuit formatum de costa viri.*

Alterum est, an Eva fuerit *ex costa* Adami forma-
ta? &

Respondeo affirmativè. Ratio est I. Potuit DEUS ita formare Eam: ergò sic formavit. De antec. non est dubium; potuit enim DEUS creare cœlum & terram, absque materia supposita ex nihilo: ergò à majori ex materia supposita, sicut fecit Adamum. Conseq. est in Scriptura cit. loc.

Ratio est II. Conveniens fuit, mulierem formari de *costa* viri: ergò ita fuit formata. Consequentia est certa *ex eo*, quod DEUS operetur omnia secundum rationes pro quounque statu convenientes. Ant. probatur *ex S. Thoma quest. 92. art. 3. in Corp.* ex duabus congruen-
tiis:

tiis : & primò quidem , cùm inter virum & mulierem futura esset socialis conjunctio, assumpta est costa ad eandem significandam , ut sic nempe , sicut antè dictum est , firmius una pars adhæreret alteri in illo vitæ confortio . Hinc notat S. Thomas , quòd mulier non sit de capite Adami , quia non est ipsius dominari in virum : nec formata ex pedibus ; *quia non debet à viro despici , tanquam serviliter subjecta* ; & ideo congruum erat , ut ex corporis quasi medio formaretur , quòd nec Domina viri , nec serva fieret , sed esset amica inter partem utramque animorum , & carnis conjunctio .

Secunda congruentia est , quòd formatio Evæ ex costa significet illud Mysterium seu Sacramentum , dum ex latere Christi fluxit aqua & sanguis , & alia Sacra menta , quibūs , ut ait S. Thomas , *est Ecclesia instituta* .

16 Sed hīc duæ confurgunt difficultates , prima est , quòd , si hæc productio *Evae* ex costa *physicè* sumenda sit , & *textus Scripturæ ad litteram* intelligendus , una parva costa sufficiens non fuerit ad corpus *Evae* longè majus formandum .

Respondet quidem S. Thomas *cit. art. 3. ad primum* , postquam rejicit aliorum opinionem , dicentium , costam illam per multiplicationem materiæ , non per additionem alterius fuisse formatam ad modum , quo Dominus quinque panes multiplicavit , tantæ multitudini reficiendæ sufficientes . Quod , ait S. Doctor , esse omnino impossibile ex rationibus ibi adjectis ; ubi etiam addit , nec costam per rarefactionem materiæ potuisse augmentum sumere , quia juxta ipsum materia in se considerata est intransmutabilis , cùm sit pura potentia , & habeat solum rationem subjecti ; quamvis , ut fatear , juxta Philosophum non totaliter neget , possibilitatem rarefactionis in materia . Interim tamen confugit ad id , quòd materiæ illi debuerit

rit aliquid addi per additionem materiæ, vel *per creationem*, vel quod *probabilius* judicat, *per conversionem*, cui ultimo nos insistimus, parùm solliciti de cæteris.

Sed contra hoc ultimum sunt multi apud Suarez h̄c cap. 2. à num. 11. dicentes, potuisse costam majorem fieri per replicationem, in quantum poneretur in diversis fibibus, & sub diversis partibus quantitatis, ita, ut hoc modo materia costæ esset in brachio, & in pede, atque in cæteris partibus eidem æqualibus.

Quæ, & similia planè gratis sine ullo fundamento ex Scriptura dicuntur. Et quamvis Suarez hunc modum dicendi possibilem dicat, in via tamen S. Thomæ, omnem replicationem excludentis, est absolutè impossibilis. Et insuper si replicatio esset possibilis, malè huc traheretur; cùm DEUS tali mediō non indigeat.

Dices, non minùs conversionem aliquid extraordinarium importare, cùm aliter intelligi non possit, nisi via supernaturali, consequenter modò miraculosô, quod in illo casu admitti non potest, cùm aliàs corpus Evæ non solum in fieri, sed etiam in factō esse fuisset miraculosum, & supra naturam ita subsistens. Hoc autem nullatenus dici potest; quia nec ratio, nec authoritas suffragatur, aliásque valde alienum est à prima naturæ institutione. Dein eodem modo dici posset, corpus Adami ex parva terræ particula formatum esse, materiâ illâ per conversionem augmentatâ, quod tamen videtur absurdum.

Respondeo, conversionem nihil insoliti importare, sed effectum esse potentiarum Divinarum, quæ cùm ex nihilo produxerit cœlum & terram, cur non potuit ex costa viri creare fœminam? Si forte repetas, conversionem tamē esse supernaturalem, respondeo, sive naturalis sit, sive supernaturalis, non obest assertioni; quia sive conversione limi in corpus Adami sit supernaturalis vel naturalis,

ralis, quare conversio costæ in corpus foeminæ non talis esse possit sine præjudicio illius statûs, vel multiplicatione miraculorum? Quod tu dicis de conversione limi in ordine ad corpus Adami rectè organizatum; hoc tibi respondeo quoad corpus Evæ, quod æquè in sua linea perfectum erat, ac corpus Adami. Sed ex hoc consurgit

I.8 Difficultas secunda, quæ valde Interpretes, & Theologos dividit, & in diversa trahit; potest enim formari hoc argumentum: corpus Adami productum est rectum, perfectum, ac integrum: ergò Eva non potuit physicè formari ex costa assumpta de Adam. Antecedens suppono ex textibus *suprà citatis*; quia *DEI perfecta sunt opera* &c. Prob. consequentia: si Eva fuisse producta ex costa Adami, tunc Adami corpus fuisse monstrosum ante formationem Evæ, vel post illam mancum, & iterum monstrosum: sed hoc dici non potest: ergò Eva non fuit physicè producta ex aliqua costa Adami. Prob. Maj. Vel enim Adam habuit plures costas, quam aliæ ad integratatem corporis requiruntur, vel non? Si primum, tunc ipsius corpus ab initio fuit monstrosum, habens aliquid, quod non pertinet ad integratatem: sic communiter Strumosi, Gipposi dicuntur monstrosi &c. Si verò secundum, tunc ablatâ costâ factum est mancum, hoc ipso iterum monstrosum: hoc autem videtur absurdum: ergò Eva non fuit facta ex costa Adami. Pater Ulloa *disput. I. de operibus sexti diei. cap. 9. §. 3.* notat ex Anatomistis, Virum perfectum habere 24. costas, duodecim ex dextra, & totidem ex parte sinistra; quod autem in viris ab Adamo descendentibus ad perfectionem integratatis pertinet, multò magis ad perfectionem Primi Parentis requiri censem: si ergò 24. costas habuit, & una fuit sublata pro formatione mulieris, tantum remanserunt 23, con-

An Eva fuerit producta ex costa viri immediatè à DEO? 21

consequenter corpus Adami redditum est mancum: si
verò habuit 25, corpus ab initio fuit monstrosum.

Atque hoc argumentum est, quod omnibus vide-¹⁹
tur difficile, ut vel ideo in diversas responsiones compulerit. Et primò quidem Thomas de *Vio*, ut difficultatem declinaret, apud Prateolum de *Vitis*, *Sectis Et c. Hereticorum Et c.* asserit, Evam non esse formatam ex costa Adæ, & narrationem illam in *Genesi* non esse intelligendam ad litteram, sed secundūm mysterium, non per allegoriam, sed per metaphoram, ubi plurima congerit, quibūs illam metaphoram explicat, sed à nemine Theologorum accipiuntur, cùm sint contra communem SS. PP. & Theologorum sententiam; atque ab Innocentio III. Summo Pontifice reprobata videantur in *cap. Gaudemus 8. de Divortiis*, ubi ad reprobandam pluralitatem uxorum in Ethniciis noviter conversis, ait, absonum hoc esse, & Christianæ fidei inimicum ex hac ratione: *cum ab initio una costa in unam foeminam sit conversa*. Subinde attexit illud *Genesis*: *Et erunt duo in carne una*, quæ utique ad litteram intelligit.

Secundò Pererius *lib. 4. in Genesin. quest. 6.* putat Adamum habuisse costam superfluam, & sic ex parte sinistra septem, ita tamen illam septimam decenter latuisse sub carne, ut adverti non potuerit. Quod quām sine fundamento dicatur, nemo non videt; licet enim nemo hominum, cùm nemo fuerit præter Adamum, potuerit advertere, an ideo latuit Angelos illa Adami monstrositas, si ramen ex illa superflua costa aliqua consurgit?

Tertiò Pater Ulloa statim laudatus *cit. loc. num. 3.* acceptat responsonem, quam Pererius ex Catharino producit, scilicet illam costam fuisse unam ex illis viginti quatuor in corpore Adami, cui tamen DEUS statim supposederit aliam, illamque annexuerit corpori Adami; & hoc

modo putat, vitari posse, quòd mutilus, & mancus fuerit Adam. Sed planè nihil dicitur ad rem; nam saltem pro aliquo instanti Adam aliquà costâ caruisset; nec enim in eodem instanti, quo ablata est prior, substitui poterat altera, alias fuissent simul tempore in eodem corpore. Nec hujus est ratio ex Scriptura, vel ex Patribus, aut Doctoribus. Alia, & alia dicunt alii, quibus immorari non vacat. S. Thomas *cit. quest. art. 3.* sibi fermè idem ipsum objicit, quod re ipsa est hoc: in operibus primò creatis non fuit aliquid superfluum: ergò costa Adæ fuit de perfectione corporis ejus: ergò è subtractâ remansit imperfectus, quod videtur inconveniens. Nunquid in hac sola objectione brevissima continetur totum id, quod alii per multa folia dilatant?

Et ad hanc objectionem, quam alii post ipsum in suæ opinionis argumentum aslumpserunt, dissimulata ejusdem responfione, ibi ait: *dicendum, quòd costa illa fuit de perfectione Adæ, non prout fuit individuum quoddam, sed prout erat principium speciei.* Paritatem etiam ibi adjungit hanc: *ficut semen est de perfectione generantis.* Dicunt multi, responfionem S. Thomæ non solvere difficultatem anteà propofitam, & præsertim ex paritate de semine adjecta; cùm enim *semen* non de integritate hominis, sed etiam juxta fententiam S. Thomæ sit excrementum tantùm quoddam ex alteratione alimentorum proveniens, quod ex naturali dispositione sequitur, nullo modo pertinet ad integritatem hominis. Hoc quidem, ut verba sonant, tolerari in Philosophia posset, sed hic neutquam. Hinc juxta S. Thomam sic argumentor: Quamvis illa costa non erat de perfectione Adami, prout fuit *individuum* quoddam, fuit tamen de perfectione Adami, quatenus fuit *principium speciei*, & quidem primum: ergò etiam *semen*, quamvis non sit de perfectione hominis ex Adamo procedentis, quatenus est *individuum*,

dum; est tamen de perfectione hominis, quatenus est *generans.* Atque hoc ex ipsa prima institutione naturæ. Ex sententia S. Thomæ sapientissimus Suarez existimat, Adamum habuisse ab initio unam costam quoad *individuum* superfluam, necessariam tamen per ordinationem Divinam ad formationem Evæ: ergò fuit ab initio monstruosus? nego consequentiam; quis enim arguet DEUM, quare sic fecisti?

Dices fortè: si Adam habuit costam quoad *individuum* superfluam, quare DEUS substituit carnem pro ea? ita enim textus habet Genesis 2. v. 21. *Tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea.* Quid opus fuit repletione, ubi nihil de necessariis ablatum est? Nescio quidem, quid alii sic interrogati responderent. Illi, qui dicunt costam fuisse absolutè de integritate, ajunt, carnem substitutam sustinuisse virtutem costæ, itaque induratam, ut sufficeret ad integritatem. Alii, ut memini, putant, aliam de novo costam fuisse sufficiam. Quidquid sit. Nos quidem ad mentem S. Thomæ, saltem ex dictis illius colligendo.

Respondemus, quod, cum costa illa ablata priùs occupaverit aliam partem corporis in Adam, quæ secundum *individuum* debuerat esse carnea, DEUS iterum carnem substituerit.

Cæterum nostram quoad hanc disputationem mentem reservamus arenæ publicæ, ibi dicturi, quid nobis probabilius videatur.

Illud omittendum non est, quod P. Ulloa cit. loc. 21 ex Tostato, seu Alensi, celeberrimo alijs S. Scripturæ Interpretæ querit: uter in resurrectione corporum sit habiturus Costam illam, Adamus vel Eva? P. Ulloa respondebat rotundè, ut dici ab aliquibus solet, quod hæc, scilicet Eva sit eam servatura. Ratio ipsius est, quod costa fuerit

rit primum fundamentum, & quasi substratum totius corporis Evæ, & quasi materia primigenia ipsius, unde fuit pars Physica essentialis Evæ, & hoc se docuisse, ait, in *disput. I. Physicæ speculat. v.e.* Alia ipsius, quæ magnificè, ut solet illud genus hominum, adjungit, omitto.

Respondeo, quæstionem illam mihi videri ridiculam; quia, cum costa illa fuerit conversa in corpus Evæ, non amplius mansit costa, sed transivit in aliam speciem, & sic non potest conjungi Adamo, ut pars aliqua integralis, nisi forte DÉUS Evam in resurrectione iterum conversurus sit in costam, quod est valde absurdum.

A R T I C U L U S III.

De perfectione primorum Parentum quoad corpus.

Productionem Adami ex *limo*, & Evæ ex *costa* viri ex antecedentibus suppono, ut proin nunc de perfectione eorum tantum agamus, quæ cum variè considerari possit, hunc articulum per quæstiones brevissimas absolvemus; quia molis esset magnæ, singula fusiùs suis numeris distinguere. Est igitur

22 **Quæstio I.** An corpora primorum Parentum fuerint numeris omnibus absoluta?

Perfectio corporis desumitur ab integritate membrorum, à debita, & decenti magnitudine, quæ haberi solet in ætate perfecta: atque etiam à recto temperamento, & humorum proportione, vel ut S. Thomas loquitur ex Philosopho, à primarum qualitatum attemperatione, in qua hominis sanitas juxta ipsum consistit, quæ, si omnia in sua perfectione consistunt, pulchritudo comittatur.

Respondendum est igitur, primos homines fuisse in omnibus perfectos. Ratio hujus est: si enim cæteræ crea-

creaturæ in debita perfectione, & cujuslibet naturam decenti producta sunt, à fortiori homo, qui omnes alias antecellit; prius est certum ex textibus Genesis jam supra citatis, ubi s̄ampius illud repetitur: *vidit DEUS, quod esset bonum:* & Genesis 2. statim ab initio dicitur: *igitur perfecti sunt cœli, & omnis ornatus eorum.* Si inanimata adeò perfectè sunt facta, an DEUS hominem neglexerit, propter quem alia fuerunt producta? Unde rejiciendus est error illorum, qui, ut refert Castro *bæresi* 5. & Philaster *bæresi* 66. dixerunt, primos homines, antequām peccârunt, visu caruisse, inducti ab illo Genesis 3. v. 7. *aperti sunt oculi amborum, cùmque cognovissent, se esse nudos &c.* quasi verò antea non viderint, quod est stolidum; quomodo enim mulier ante comedionem cognovit, & vidit, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, *aspectu que delectabile.* Genes. 3. v. 6. Si viſu caruit? Potius hæretici isti videntur caruisse oculis animi, quām primi homines visu corporis. Illud *aperti sunt oculi amborum* non adeò materialiter intelligendum, ac si clausi fuissent prius oculi; nam ante peccatum Genes. 2. v. ultimo viderunt se nudos: *erat autem uterque nudus, Adam scilicet, & uxor ejus: & non erubescabant;* quia, cūm necdum legem sentirent in membris suis, contradicentem legi mentis, non erubuerunt. Fuit ibi ante peccatum pars inferior, & sensitiva plenè subiecta parti superiori, consequenter non potuit fuisse motus aliquis inordinatus: & ideo ait Alcuinus quæst. 59. in Genesin: *nihil putabant oelandum, quia nihil senserant refrænandum.* Et S. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei. cap. 17. post alia dicit; *neque enim ceci creati erant, ut imperitum vulgus opinatur,* cui, sicut tanquam simplici indulgendus est error materialis in similibus, ita vel maximè vituperandus in illis, qui volunt altè sapere, ut plerumque hæretici.

D

Quoad

23. Quoad alias perfectiones tam internas, quam externas certum est ex SS. PP. Theologis, aliisque Doctoribus, eas fuisse in primis hominibus modo, & gradu perfectissimo, ut colligitur ex cit. loc. Gen. ubi DEUS post eorum creationem absolutam dixit: *vidit DEUS, cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, quod principaliter convenit homini. Ideo est communis opinio, *primos homines fuisse pulcherrimos, quasi aliquam idæam totius posteritatis: utpote nulla membrorum, vel qualitatum deordinatione turbato*, ut adeò nulli corruptioni, ex discordia qualitatum provenienti fuerint obnoxii usque ad peccatum, per quod illa totius suppositi harmonia fuit dissoluta, & ambo ad miseriam illam, quam nos ab Adamo participamus, dejeti sunt. Perfectio autem illa per donum speciale, naturæ secundùm se spectatæ nullo modo debitum, ipsis à DEO gratis fuit collata, quam posteà sibi, nobisque amiserunt peccando, & illud peccatum propagatione in nos transfuderunt. Quæ, & alia ex peccato originali descendentia in Parte secunda clariora fient.

24. Questio II. In qua ætate, & magnitudine sit creatus Adam, quod proportionaliter etiam quæritur de Eva? Quamvis in similibus nihil certi haberi, & ideo nec dici possit. S. Thomas quest. 91. art. 3. ubi quærit: *utrum corpus hominis babuerit convenientem dispositionem?* Respondet affirmativè ex illo solo Ecclesiastici 7. DEUS fecit hominem rectum. Dein in corp. addit: *DEUS unicuique rei naturali dedit optimam dispositionem, non quidem simpliciter, sed secundum ordinem ad proprium finem;* sed quia finis proprius, & immediatus corporis humani est anima, ad quam, & ad cuius operationes ordinatur, debuit corpus perfectè aptari animæ, ut adeò juxta S. Thomam DEUS instituerit illud in optima dispositione secundùm convenientiam ad talem formam, & tales operationes. Et alia multa habet

bet de perfectione hominis, nec tamen vel *etatis*, vel *ma-*
gnitudinis facit mentionem, quia, ut ego quidem existimo,
nec ex Scriptura, nec ex S. Augustino, cui totus inhæ-
ret, quidquam certi, aut revera probabilis colligere po-
tuit. Et hinc

Respondendum ad primum, quod Adam, & Eva im-
perfecta ætate fuerint producti. Ratio autem hujus-
est, ut statim anteà dixi, quod, sicut DEUS alia animan-
tia in sua convenienti perfectione, & ætate produxit, ita
& hominem, ut statim generare potuerint, quod pateret
ex illo: *crescite, & multiplicamini &c.* Genes. I. v. 8. post-
quām in versu 7. immediate präcessit illud: *masculum, &*
fæminam creavit eos.

Sed in quanta ætate fuerint creati, movent aliqui du-25
biūm; & cùm ætas ibi in primis parentibus computari
non possit, mensura ab ætate nostra desumenda est, ut
status quæstionis sit, quantum temporis fluxisset, ut ad
perfectionem illam pervenirent, in qua creati sunt. Ca-
jetanus apud Suarezium lib. 3. hic cap. 3. ait, Adamum fuisse
creatum quasi virum sexaginta annorum, si ordinario
modò crevisset; quia ibi respectivè ad longissimam vitam,
quam primis temporibus plerumque vixerunt, erat ætas
perfecta. Alii cum Pereira putant, fuisse Adamum quasi
virum quinquaginta annorum, alii plures, vel pauciores
assignant, quod totum arbitratum est, nullo suffragante
fundamento. Ratio ipsorum est, quod in ætate Adami fie-
ri debeat proportio ad totam, quam vixit: cùm ergò ille
diutissimè vixerit, non possit fieri proportio per ætatem
minorem, quām quinquaginta aut sexaginta annorum.
Planè per hanic rationem, aut potius gratuitam assertio-
nem tam parùm probatur, ut nihil minus; nam, si fin-
gatur Adam fuisse etiam centum, & ultra annorum, non
esset adhuc proportio ad 930. annos, quos vixit Adam.

Ut habetur Genes. 5. v. 5. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Profectò, ut hic putat Suarez, centum anni vix explerent nonam partem totius ætatis Adami, & quæ hæc proportio?

Resp. igitur ad Quæst. ætatem Adami in sensu explicato fuisse æqualem ætati Christi Domini, quam explevit usque ad mortem, scilicet, pro diversitate opinionum, non excessisse annum 33. vel 34. in alterutro enim juxta communem opinionem mortuus est Christus, quod examinare hic non est nostrum. Ratio nostra est, vel potius congruentia: quod, sicut Corpus Christi erat omnī modō perfectum in illa ætate, quia operante Spiritu Sancto fuit in utero Virginis formatum, & modō quodam humanō crevit ad illam ætatem, in qua passus est; ita etiam Adam productus fuerit; quia non congruentius ab alio desumi potest, quam à perfectione ætatis Christi. Quod etsi videatur gratis dici, est tamen ratio pugnans pro utriusque in hoc paritate; sicut enim secundus Adam Christus eam ætatem habuit, ita & primus. Et moraliter loquendo, sicut per unum hominem juxta Apostolum mors intravit in mundum, ita per unum hominem vitam. 1. Corinth. 2. quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Dedit nobis hujus assertionis occasionem S. Hieronymus Epist. 27. ad Eustochium, ubi dicit, nos esse resurrectos in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in qua & Adam Judæi conditum autumant. Nec posterius hoc solùm refert S. Hieronymus, sed etiam probare contendit. Ex quo aliam congruentiam deduco. Omnes resurgent in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quod de fide ex Apostolo est: ergo ætas Christi, & plenitudo est perfectissima: ergo rectè assumo, Adamum in ea ætate conditum, in qua cum aliis resurrecturus est, cùm illa sit omnium perfectissima.

Quæ-

estio III. Quantæ magnitudinis fuerit corpus ²⁶ nte responsonem notandum est, crassum fuisse in errorem, putantium, primos homines tantæ is fuisse, ut ad alia loca per mare pedibüs transuerint: Et hoc ex SS. Athanasio & Cyrillo deabuntur, in quibus ne vestigium quidem humetiam solertissimi Doctores invenerunt. Etsi que id asseruisset, nullam apud prudentes fuisse; cum enim mare sit altissimum, & per illo loca, vel partes peragrassent, immensæ propæ magnitudinis eorum corpora fuisse, necessum est. Joannes Lucidus apud Suarez h̄ic lib. 1. de Emendatione temporum, quamvis insolitam proceritatem illam non admittat, estimat tamen, Adamum inter gigantes fuisse maximum, & si ille talis fuit, servata proportione ita & Eva fuisse debuit. Hæc quidem opinio minùs alterā, sed tamen enormiter peccat; Nam sic argumentor I. de illa gigantea magnitudine non meminit S. Scriptura: ergò non est asserenda. Ant. est certum, conseq. est communis orationis. Si dicas, Scripturam utique meminisse gigantum Genes. 6. ¶. 4.

Respondeo, mentionem illorum fieri, postquam ingressi sunt Filii DEI ad filias hominum longè post Adami mortem, cùm cœpissent homines multiplicari super terram circa annum Mundi MDXXXVI, ibi Scriptura loquitur cit. ¶. 4. de illis, tanquam de insolitis hominibus: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis - - isti sunt potentes à seculo, viri famosi.* Certè si Adamus talis fuisset, sibi similes genuisset, & sic ordinariè, & naturaliter loquendo alii ab Adamo descendentes procreassent iterum alios, & sic jam in prioribus saeculis gigantes fuissent, & non tantum in diebus illis; nec de illis Scriptura, quasi cum admiratione loqueretur, & tanquam de viris famosis, si jam tales antea existissent.

Argumentor II. Quamdiu non potest ostendi finis illius magnitudinis in primis parentibus, tamdiu sine ratione fingitur: sed finis ostendi non potest: ergò sine ratione fingitur. Major supponitur; quia DEUS, & natura nihil frustra faciunt. Min. prob. Tanta enim proceritas ad perfectionem corporis, vel ad ejus pulchritudinem, aut ad alias actiones, quæ maximè perfectæ & humanæ sunt, tam parùm conductit, ut potius corpus deformet, & minùs aptum ad actiones reddat.

Dicendum est ergò, corpus Adami ejusdem fuisse magnitudinis, cuius erat Christus Dominus. Ratio hujus est, quæ priùs de ætate fuit; certum quippe est, Christum habuisse corpus, & staturam perfectam, non tamen giganteam; si autem magnitudo esset de perfectione naturæ humanæ, utique Christus illam assumpsisset, saltem in resurrectione? quæ deinde omnibus in illa danda esset, de quo tamen nihil constat: ergò sicut de ætate diximus Adami, ita de magnitudine ejusdem ex illo *Ephes. 4. v. 13.* Donec occurramus - - in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ergò Adam ibi nec major, nec minor erat, cùm ab initio fuerit productus in virum perfectum, in mensuram ætatis, & plenitudinis Christi.

QUÆSTIO II.

De homine in statu Innocentiae quoad animam considerato.

Debent equidem huic Quæstiōni multa præmitti, quæ latè pertractant alii, quibus otium est, & libertas scribendi, quantum volunt, nos ad certos terminos constricti illa cogimur omittere, quæ non adeò ad nostrum institutum pertinent. Unde supposita

sita perfectione corporis ad animam pergimus, ad quam corpus ordinatur ex textu S. Scripturæ Genes. 2. v. 7. formavit igitur Dominus DEUS hominem de luto terre, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vite: & factus est homo in animam viventem. De hoc spiraculo, quod animam rationalem dicimus, & de potentiis ipsius hic agemus, dein ad statum supernaturalem transituri.

ARTICULUS I.

De infusione anime rationalis.

Suppono I. Adamum extra, ut suprà diximus, fuisse²⁷ creatum, & Eam intra Paradisum, quod ex textu Genes. 2. v. 8. Plantaverat autem Dominus DEUS Paradisum VOLUPTATIS à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. Ubi nulla adhuc mentio fit de Eva, sed primum v. 22. & 23. dum eam DEUS ad Adam adduxit, ubi eâ visâ dixit: *boc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea &c.* Nec obest, quòd Moyses jam cap. 1. v. 27. meminerit foeminæ: *masculum, & foeminam creavit eos.* Ibi enim solùm in compendio opera sex dierum narravit, postea verò cap. 2. Genes. distinctius explicavit modum productionis respectu Adami & Evæ: nihil igitur officit textus ille, quòd minùs persistat veritas de productione mulieris intra Paradisum.

Suppono II. Paradisum esse locum terrestrem, quam-²⁸ vis etiam sàpè spiritualiter, vel ut alii dicunt, mysticè sumatur; sunt enim tres, teste S. Aug. lib. 8. super Genesin ad lit. de Paradiſo generales sententiae. Una eorum, qui tantummodo corporali-ter Paradiſum intelligi volunt: alia eorum, qui spiritualiter tantum: tertia eorum, qui utroque modo Paradiſum accipiunt, quam mibi fateor placere sententiam. Et hæc opinio est præstantissimorū Authorum, S. Aug. cit. loc. S. Thomæ quest. 102. art. 1. Do-
cto-

Etoris Subtilis in 2. *dist. 17. quest. 2.* quibus accedunt alii propè innumeri. Ratio est : ea, quæ Scriptura tradit de Paradiso, per modum narrationis historicæ propo-nuntur : sed in talibus semper pro fundamento tenenda est veritas historiæ : cùm ergò Scriptura de Paradiso tra-dat, tanquam de loco terrestri, tenenda est veritas hi-storyæ, ex qua, ut ait S. Thomas cit. loc. *spirituales expo-sitiones adificandæ*. Et hoc desumpsit S. Thomas ex S. Au-gustino *lib. 13. de Civit. Dei*, ubi dicit: *que commodè dici pos-
funt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente di-
cantur, dum tamen ē illius historiae fidelissima veritas rerum ge-
storum narratione commendata credatur.* Spiritualis Paradisi sensus potest esse, dum accipitur pro habitatione cœlesti secundūm illud Ezechielis 28. v. 13. *in delitiis Paradisi fuisti.* Et Apostolus 1. Corinth. 6. duos Paradisos distinguit, unūm-que vocat cœlestem, alterum terrestrem, *in quo homo po-
fitus mandatum, ē ut operaretur, ē ut custodiret, accepit.*

29. Ubi autem Paradisus terrestris sit ? est multa dispu-tatio, S. Thomas quidem, & cum eo communiter alii exi-stimant, situm esse in parte Orientali, & hoc ideo, quia S. D. locum illum judicat omnium nobilissimum, cùm-juxta Philosophum in 2. de coelis, *Oriens fit dextera cœli :* dextera autem est nobilior, quam sinistra. Huic tamen dubio me non immitto, nec illi, cuius altitudinis fuerit Paradisus, quem aliqui usque ad globum lunarem elevant, id est juxta S. Th. cit. quest. & art. 1. ad 2. *usque ad medium
aëris interstitium, in quo generantur pluviae,* quod non ac-ceptat S. D. eo quod ille locus non fuisse conveniens locus habitationi humanae, quia ibi est maxima intemperies, nec commodus complexioni humanæ, sicut aër inferior magis terræ vicinus. Paradisum non fuisse totam terram floribus consitam, ut aliquai somniant, ex littera est cer-tum ; quomodo enim Adam induci & poni in Paradiso

PO-

potuit, si ille tota terra est, in qua jam fuit: est ergo Paradisus locus specialis, in quodam loco separato, & altiori positus, plenus voluptate, ut habet Genesis Historia cap. 2. Cæterum, ut S. August. advertit. g. super Genes. ad lit. Credendum est, quod locus Paradisi à cognitione hominum est remotissimus. Si ille non cognovit, qui fuit aquila, quomodo nos, qui respectivè sumus noctuæ, cognoscemus?

Suppono III. Animam primiti hominis non esse de substantia DEI, vel aliquid illius, ut quidem antiquiores senerunt, qui teste S. Thoma i. p. quest. 90. art. 1. in Corp. decepti sunt à Philosophorum imaginationibus, putantium, nihil dari præter corpora, consequenter nihil spirituale, & incorporeum; & vel ideo etiam DEUM esse corpus aliquod, cæterorum omnium principium: & quia dicebant, animam esse de natura illius corporis, per consequens inferebant, animam esse de substantia DEI. Idem S. Doctor refert cit. loc. Manichæos putasse, DEUM esse quandam lucem corpoream, cuius particula sit anima hominis, & sic substantia DEI. Similem errorem circa quidditatem animæ Cajetanus in Appendix ad Commentarium in S. Th. tribuit GNOSTICIS, dicentibus, animam rationalem ex DEI substantia existisse, aut DEI naturam, vel substantiam esse, qui error damnatus est à Concilio Toletano primo, ubi tantum una DEI natura prædicatur: præter hanc Trinitatem nullam credimus Divinam esse naturam, vel Angeli, vel Spiritus, vel Virtutis alicujus. Et in Concil. Bracharense I. sub Honorio Primo anathemate feritur, si quis animas humanas, vel Angelos ex DEI credit substantia existisse, sicut Manicheus, & Priscilianus dixerunt: anathema sit. Eundem errorem hereticum secundò idem Toletanum, quod à Leone Papa fuit confirmatum, cap. 21. de regulis fidei expunxit, dum ait: Credimus &

animam hominis non Divinæ esse substantiæ, aut DEI Patris, sed creaturam dicimus, DEI voluntate creatam. Item ibi : *siquis dixerit, vel crediderit, animam humanam vel DEI portionem, vel DEI esse substantiam, anathema sit.* Suppositâ ergò doctrinâ Catholicâ, quod illud spiraculum non fuerit ipsa substantia DEI, vel aliquid ejus, sed fuisse rem creatam, & à DEI substantia distinctum

3*i* Dicendum est I. DEUM creasse animam rationalem, eamque corpori humano univisse, cum inspiravit in faciem Adami spiraculum vitae. Est communis SS. PP. & Doctorum Catholicorum.

Probatur I. Authoritate maxima SS. Augustini, Thomas, & Scoti. Primus in lib. 3. de Origine animæ. cap. 15. ubi postquam alia enumerasset, multum, aperteque perversa, & fidei Catholicæ adversa, dixit : inter que primum est, DEUM animam non de nihilo, sed de seipso fecisse : ergò S. Pater sentit, DEUM animam creasse de nihilo, eamque infusisse corpori, contrarium verò esse perversum, & contra fidem Catholicam. Clarius adhuc loquitur lib. 12. de Civit. Dei. cap. 23. Fecit ergò DEUS hominem ad imaginem suam. - - - Et cum virum terreno fecisset ex pulvere, et que animam, quam dixi, sive quam jam fecerat, sufflando indidisset, sive NB. potius sufflando fecisset, cumque statum, quem flando fecit, animam hominis esse voluisse.

S. Thomas hic articulo i. innititur S. Augustino per totum articulum, & proin ad i. ait : quod spirare non est accipiendum corporaliter : sed idem est, DEUM spirare, quod spiritum facere : assumo : sed DEUS ibi spiravit in faciem Adami : ergò spiritum fecit : sed non fecit Angelum, ut ex textu patet : ergò fecit, id est, creavit animam rationalem. Quid est, interrogat Alcuinus quest. 8. in Genesim, quod DEUS inspiravit in faciem Adæ spiraculum vite? & mox

mox respondet : inspiratio DEI in faciem hominis traditio est anime rationalis.

Scotus in 2. *dist. 17. quest. 1.* quamvis dicat , animam creari posse seorsim , de facto tamen , cùm actio productiva terminetur ad totum , animam & corpus simul fieri : ergò re ipsa sentit , animam Adami simul fuisse creatam , nec pro priori aliquo seorsim existisse. Sed quidquid sit de aliis , quæ ibi dicit Scotus congenita subtilitate , sufficit , quod judicet , de facto demonstrari non posse , animam Adami fuisse per se , scilicet seorsim ante corpus productam.

Ratio conclusionis , vel potius congruentia est , quod DEUS ita potuerit animam producere , consequenter , ut Iupræ diximus , ita producerit ; nec enim afferendum est aliquid in istis , ubi S. Scriptura nihil exprimit . Prob. conseq. Si anima fuisset ante corpus productum , habuisset statum imperfectum , cùm ex natura respiciat corpus tanquam partem : sed in prima productione non potuit habere statum imperfectum , sicut nec aliæ creature ab initio productæ ; vident enim semper DEUS , quod effet bonum : ergò non fuit prius creata.

Dicendum II. Animam in eodem instanti reali cum corpore fuisse productam.

Pro quo suppono ex dictis , non amplius esse quæstionem , an anima sit creata prius jam cum Angelis , ut docuisse videtur S. Augustinus in lib. 7. *super Genes. cap. 24. & 25.* ubi ait : animam primi hominis ante corpus cum Angelis fuisse creatam , quia , ut advertit S. Thomas hic *quest. 90. art. 4.* supponit , quod corpus hominis in illis operibus sex dierum non fuerit productum in actu , sed tantum secundum rationes causales , quod de anima dici non potest . Sed hoc S. Augustinus non dixit afferendo , ut ejus verba demonstrant : & ideo S. Thomas cit.

loc. sustinet opinionem S. Augustini in hoc sensu, quod anima humana processerit in operibus sex dierum secundum quamdam similitudinem *generis*, quatenus convenit cum Angelis in intellectuali natura. Quamvis dein addat, secundum alios sanctos tam animam quam corpus primi hominis in operibus sex dierum fuisse producta.

Prob. conclus. Potuit DEUS corpus & animam in unico instanti simul producere: ergo ita produxit. Ant. ex eo patet, quod DEUS sit virtutis illimitatae in producendo, consequenter non indigeat successione, unum post alterum producendi: conseq. probatur ex eo, quod talis productio significet perfectionem in agente.

Confirmatur: in S. Scriptura non dicitur, quod DEUS pro priori temporis produxerit corpus, & pro posteriori animam: ergo utrumque simul produxit, intercedente sola prioritate naturae, ita, ut pro priori naturae corpus, non anima, ut alii existimant, DEUS attigerit, & pro posteriori organizato satiis corpore animam infuderit: sicut enim ita contingit in naturali generatione hominis, ut corpus praecedat animam, ita in illa productione contigisse censendum est. Instantiam hujus nobis praebet Incarnatio Verbi Divini, ubi pro priori naturae corpusculum ex purissimo sanguine Beatae Virginis formatum est, subinde infusa anima rationalis, & sic assumptio facta est ad suppositalitatem Divinam.

33 Dices, instantiam illam pugnare contra nos; nam plerumque Theologi, quibus accedunt Theologia Salisburgensis, & Illustrissimus Reding de *Incarnat.* docent, in illo Mysterio tres actiones realiter distinctas intercessisse, primam *creationem animae*, secundam *generationem Humanitatis*, tertiam *assumptionem ad Verbum*. Ratio ipsorum est: actiones, quae habent terminos realiter formaliter distinctos, sunt realiter formaliter distinctae: sed actio-

actiones illæ habent terminos realiter formaliter distinctos: ergo sunt realiter formaliter distinctæ. Maj. patet ex Philosophia, minor constat; quia Christus est terminus totalis, natura autem humana est terminus quasi partialis, qui utique realiter distinguitur à priori tanquam *inclusum ab includente*. Ratio ulterior est, quod actiones diversorum ordinum realiter sint distinctæ: sed actio Incarnationis est superioris ordinis & hypostatici, generatio verò, & creatio animæ pertinent ad ordinem naturæ.

Respond. dist. Maj. actiones, quæ habent terminos realiter formaliter distinctos, & non subordinatos, sunt realiter formaliter distinctæ conced. Maj. si sint subordinati, neg. Maj. & sic distincta min. neg. consequent. Ad rationem adjunctam dico, quod quidem humanitas seorsim spectata, & non ordinata ad suppositum Divinum, sit terminus adæquatus generationis, sed non hic, ubi humanitas subordinatè ad Christum erat producta. Et ideo assumo pro nobis; quamvis enim creatio animæ fieri possit per actionem distinctam, cum absolute sine corpore produci possit, non tamen facta est per actionem distinctam ab illa, qua totus Adam fuit productus, quia per ordinem ad corpus creata fuit, ut sèpe repetit S. Thomas: & sic etiam corpus Adami fuit productum cum ordine ad animam.

Ad rationem ulteriore dico, actiones diversorum ordinum realiter distingui, nisi inferiores subordinentur superiori. Volo dicere, quod actio Divina simul, & semel, utpote *eminenter virtualiter* talis attigerit plures terminos in ordine ad terminum ultimum scilicet Christum: sic etiam dicimus, DEUM in formatione Adami attigisse plures terminos una actione scilicet corpus & animam, ac, ut infra dicemus, gratiam sanctificantem, cæteraque dona tam naturalia quam supernaturalia eadem actione produxisse.

34 Ea, quæ diximus de productione Adami, etiam intelligenda sunt de formatione Evæ quoad corpus, & animam, hoc solo excepto, quod Adam prius tempore, & illa posterius in Paradiso fuerit facta ex costa, ut antè diximus, cuius posterioritatis rationem dat Magister sent. in 2. dist. 18. sub littera G. ideo scilicet, ut unum esset generis humani principium, quatenus in hoc & superbia diaboli confundetur. - - Diabolus quippe aliud à DEO principium esse concupierat, ideoque ut ejus superbìa retunderetur, hoc homo in munere accepit, quod diabolus perversè rapere voluit, sed obtinere non potuit. - - Sicut DEUS omnibus rebus existit principium creationis, ita homo omnibus hominibus principium generationis. Cui dein, quia generatio sine foemina fieri non potest, in adjutorium conjunxit Evam, eamque simul totam produxit ex costa, sicut Adamum ex lîmo. Cujus ratio ex Scriptura colligitur Genes. i. cit. creavit DEUS hominem ad imaginem suam: masculum, & foeminam creavit eos: ergo eodem modo de Eva discurrendum est, quo antea de Adamo diximus.

Contra illud, quod corpus prius naturâ ante animam fuerit productum, est Eximus P. Suarez lib. 3. de hominis creatione &c. cap. 7. n. 10. ubi ait, animas Adæ & Evæ non fuisse creatas prius tempore, quam corporibus unirentur, sed solùm prius naturâ, & pro hoc allegat S. Thomam I. p. quest. 90. dicítque hanc opinionem esse communem Scholasticorum in S. Thomam. Etiam addit SS. PP. Gregorium Nissenum, Damascenum lib. 2. de fide dicentem: DEUS animam ratione, & intelligentiâ præditam per sufflationem Adamo tribuisse: & ne quis existimet, tribuisse animam jam creatam, subdit: porro corpus & anima una creata sunt, non ut Origenes deliravit, nec prius, illud posterius. Insuper adducit Hieronymum, Leontem Papam, & alios.

Re-

Respondeo, ex SS. PP. non aliud colligi posse, quām, animam non fuisse creatam priùs tempore, ut dixit Origenes, aliisque, quòd perpetuò negamus. An autem priùs naturā anima creata fuerit, vel corpus, ex nullo elicci poterit. S. Thomas etiam est potiùs contrarius Suarezio; quia cit. loc. in Respons. sed contra expressè ait: *quod actus proprius sit in potentia propria: cum ergo anima sit proprius actus corporis, anima producta est in corpore.* Ex quo argumentor sic: anima producta est in corpore: ergo corpus prius saltem naturā fuit; nihil enim in altero fieri potest, nisi alterum sit prius; cùm autem prius tempore non fuerit, saltem fuit prius naturā. Nec etiam Thomas aliter in toto articulo dicit: ergo ex S. Thoma tam parùm evincitur, ut potiùs oppositum.

Ex his colliges, animam primi Parentis *individualiter*³⁸ fuisse perfectissimam, omnésque in posteritate excessisse propter organizationem exactissimam, ex qua individualis animæ perfectio desumitur, quamvis alias omnes animæ rationales specie convenienter. Ideóque operationes Adami fuerunt perfectæ, nullo defectu usum potentiarum impediente, ut plerumque in posteris contingit; quia sàpè debilitas virtutis seminalis non valet perfectam organizationem inducere, ex cuius defectu sequitur imperfectio potentiarum. Propter perfectionem organorum, quām Salomon habuisse ex Scriptura convincitur, ipse Sap. 8. ait: *puer ingeniosus eram, & sortitus sum animam bonam.* Et S. Thomas in 1. sent. dist. 8. quest. 5. art. 2. ad 6. docet, *animam, quæ ad corpus melius dispositum ordinatur, perfectiore esse.* Si autem id contingit in hominibus per naturalem generationem descendantibus, multò magis in Adamo, qui à DÉO creatus est: Unde Philo Judæus lib. de Opif. Mundi de Proto-parente ait: „Talis mihi primus „homo videtur factus, & corpore, & animo reliquos omnes,

„nes, qui vel nunc sunt, vel antè fuerunt, excelluisse.
 „Hujus rationem subjungit nostræ assertioni congruam:
 „illum enim DEUS condidit, nos verò ex hominibus gi-
 „gnimur: quantò autem melior, majorque Auctor, tan-
 „tò & opus esse oportuit. Denique addit: itaque par est,
 „primum illum hominem robur, & vigorem extitisse,
 „totius generis. At secutos deinceps haud ita viguisse,
 „per ætates & successiones deteriores semper formâ, &
 „viribûs factos. Consonant & alii ex veteribus, quos
 omittere cogimur.

ARTICULUS II.

*An, & in quo sensu homo ad imaginem DEI
sit creatus?*

36 **S**uppono ex S. Thoma hîc quest. 3. cum communi, o-
 mnes creaturas aliquo modo esse ad imaginem DEI
 factas juxta illud Boëthii de *Consolatione Philosophiae*
lib. 3. metrò 9. ubi DEUM sic alloquitur:

*Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formas &c.*

Quod S. Th. cit. loc. ad 4. explicat in eo sensu, quatenus
 artificium imitatur speciem artis, qua est in mente artifi-
 cis. Dein subjungit: sic autem non loquimur nunc de imagi-
 ne, sed secundum quod attenditur secundum similitudinem in natu-
 ra, prout scilicet primo enti assimilantur omnia, in quantum sunt
 entia, & prime vîta, in quantum sunt viventia, & summa Sa-
 pientia, in quantum sunt intelligentia. Prout nempe est par-
 ticipatio illius Primi Eſſe, ad quod major vel minor fit ac-
 cessus in creaturis; sic aliqua inferiora tantum eſſe, ali-
 qua rationem substantiar, multa gradum viventis, & alia
 etiam

etiam intellectualitatem, immersam tamen Materiæ, ut homo, denique alia intellectualitatem puram, ab omni materia absolutam participant, ut Angeli; nulla autem creatura ita ad DEUM potest accedere, ut non semper adhuc inter DEUM, & illam sit infinita distantia; unde communiter in seniori Philosophia negatur possibilitas creaturæ quoad omnia perfectissimæ, quamvis respectivè, & secundum aliquid de facto dentur creaturæ perfectissimæ, uti Cherubini, vel potius Seraphini, quia non habent aliam creaturam supra se perfectiorem, quamvis habere possent. Sic etiam secundum aliquid juxta S. Thomam 1. Part. quæst. 25. art. 6. ad 4. *Humanitas Christi ex hoc, quod est unita DEO: & beatitudo creata ex hoc, quod est fructus DEI: & Beata Virgo ex hoc, quod est Mater DEI, habent quandam dignitatem infinitam: & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse DEO.* Absolutè autem cit. loc. in corp. asserit S. Thomas, quod quacumque creatura perfecta possit creare adhuc perfectiorem: *simpliciter autem loquendo, qualibet re à se facta potest DEUS facere aliam meliorem.*

In hoc sensu non loquimur hīc, nec etiam in illo, quatenus quilibet creatura habet Ideam in mente Divina, cui assimilantur; est ergò sensus aliis, in quo tamen SS. PP. & S. Scripturæ Interpretes valde divisi sunt, quos paucis referemus.

Prima interpretatio est, quod hominis anima incor-poreæ, immaterialis & spiritualis sit, & in, ait P. Graveson, in *Hist. Ecclesiast. fol. mibi 14.* imaginem DEI collocat S. Augustinus. Secunda, quod anima æternas sit, & immortalis, sicut & ipse DEUS: & in hoc imaginem ponit Origenes. Tertia, quod anima sit intellectu, voluntate, & memoriâ prædita, & in hoc positam esse imaginem censet S. Damascenus. Quarta demum, ut aliorum Inter-

pretationes omittamus, imaginem in eo constituit, quòd, sicut DEUS Pater scipsum cognoscens, producit Verbum Divinum per intellectum, & se amando producit per voluntatem Spiritum Sanctum: ita homo intelligendo se producat in mente sua verbum intelligibile, sui ipsius expressivum, sibique simile, atque procedat in voluntate ejusdem amor. Ita dicitur explicare imaginem S. Augustinus lib. 10. de Trinitate. cap. 10. cui suffragatur S. Thomas hic quæst. 93. art. 8.

38 Dicendum est, hominem factum esse ad imaginem DEI secundum animam, eò quòd animæ impressa sit imago DEI. Est communis, & catholica sententia.

Ratio est I. datur in homine imago DEI, ut ex Scriptura constat: sed ratio imaginis non est propriè in corpore: ergò est in anima. Min. est certa, & Maj. est ex Apostolo ad Ephes. 4. renovamini spiritu mentis vestre, & ad Coloss. 3. induentes novum hominem, qui renovatur ad agnitionem DEI secundum imaginem ejus, qui creavit eum.

II. Homo ratione habet quandam similitudinem cum DEO in eo gradu, in quo propriè, & formaliter existit, scilicet in gradu vitæ intellectualis: ergò ratione animæ homo est ad imaginem DEI. Prob. conseq. De ratione imaginis est repræsentare id, cuius imago est; sed homo ratione animæ repræsentat DEUM: ergò ratione animæ homo est ad imaginem DEI. Quod S. Th. loc. statim cit. sic explicat: potest ergò hujusmodi differentia attendi inter creaturas rationales, & alias creaturas quantum ad hoc, quòd in creaturis rationalibus repræsentatur similitudo Divina naturæ, & quantum ad hoc, quòd in eis repræsentatur similitudo Trinitatis increatae. Quod de imagine dictum est quoad Adamum, intelligendum quoque venit de Eva; cùm & ipsa rationalis creatura sit, & ejusdem cum illo speciei, secundum mentem; hinc Apostolus post verba illa: *ad ima-*

imaginem ejus, qui creavit illum, subjungit : ubi non est masculus & foemina, ut significaret, imaginem esse ibi, ubi non attenditur distinctio sexus, id est in mente, non in corpore. Nec obest, quod S. Ambrosius in Epistolæ 1. ad Corintib. 11. relatus à Gratiano in cap. 33. q. 5. dicat : *Mulier idcirco debet velare caput, quia non est imago DEI, ut ostendatur subiecta :* ergo juxta S. Ambrosium foemina non est imago DEI. Nam Respondeo, S. Ambrosium non strictè intelligendum, sed juxta Apostolum cit. loc. v. 7. *Vir quemadmodum ait ille, non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria DEI est, mulier gloria viri est, ubi non negat imaginem foeminæ, sed gloriam, quod ex ratione in v. 8. colligitur : non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.* Et sic mulier est gloria viri, & imago DEI secundum mentem, & ejus potentias, quod in cit. textu, ubi uterque sexus exprimitur : & Genesis v. 6. dicitur : *quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe DEI factus est homo.* Quod utique de viro, & foemina accipiendum. Dein S. Ambrosio oppono SS. Augustinum & Thomam. Ille in illa Gen. *masculum & foeminam creavit eos, sic ait : ad imaginem DEI naturam ipsam humanaam factam dicit, qui sexum utrumque complectitur, nec ab intelligenda imagine DEI separat foemina.* Amabo quid expressius ? idem recipit a S. Thomas hic quæst. 93. art. 8. ex alio textu S. Augustini clarissimo, ipse dein adjungit : *quantum ad aliquid secundarium imago DEI invenitur in viro, secundum quod non invenitur in muliere ; nam vir est principium mulieris, & finis, sicut DEUS est principium, & finis totius creature.* Subinde citat illud Apostoli à nobis relatum. Consequenter quomodounque sumatur illud S. Ambrosii, respectivè nihil probat.

Quæres, utrum imago DEI inveniatur etiam in anima secundum actus suos ? S. Th. ex S. Augustino lib. 14.

cap. 7. de Trinitate, dicente: *principaliter attenditur imago Trinitatis in mente secundum actus*, quod S. Th. acceptat in eo sensu, quatenus ex notitia, quam habemus, cogitando interius verbum formamus, & ex hoc in amorem pro-rumpimus. An verò per actus intelligantur potentiae animæ, non adeò convenienter Authores, quamvis sine difficultate dici possit, quòd imago etiam reluceat ex illis potentiis in via Thomistica realiter distinctis, vel in aliorum sententia cum anima identificatis: dicit enim S. Augustinus cit. lib. cap. 4. *Si secundum hoc facta est ad imaginem DEI anima rationalis, quod uti ratione, atque intellectu ad intelligendum, & conspicendum DEUM potest, ab initio, quo esse coepit, fuit in ea DEI imago: & hoc in utraque sententia procedit: anima enim sive intellectus distinguitur, vel non, potest intelligere DEUM, eumque conspicere, & si potentiae distinguantur, iisdem ad intelligendum DEUM liberè potest uti.* S. Thomas quidem cit. quest. 63. art. 7. ideo in actibus animæ admittit imaginem DEI, quòd quasi ex consequenti ex illis reluceat; ait enim in Corp. ibi: *sed quia principia actuum sunt habitus, & potentiae, unumquodque autem virtualiter est in suo principio, secundario, & quasi ex consequenti imago Trinitatis potest attendi in anima secundum potentias, & præcipue secundum habitus.* Ratio est, quòd sola anima non sufficienter referat tanquam imago natu-ram Divinam: ergò etiam in potentiis, & actibus est imago DEI, & quidem clarior. Ant. prob. DEUS jux-ta modum nostrum intelligendi est ita intellectualis, ut habeat vim intelligendi, & amandi, & liberè operandi: sed anima hoc non habet per suam substantiam, præsertim in schola Thomistica, ubi substantia non est *immediatè operativa*: ergò habet à suis potentiis, consequenter imago DEI quoad hoc completur per potentias. Ulterius, cùm DEUS non tantum intellectivus, seu potens intelligen-di

di sit, sed etiam in actuali intelligere, & amare eundem ita constitutum debeat repræsentare anima, & potentiaæ quoad rationem *imaginis*, sequitur, quòd actuale potentiarum, & juxta S. Thomam etiam habituum exercitium clarioris *imaginem* exprimant; hinc Apostolus *1. Corinth. 15.* postquam dixit, non esse solam *imaginem terreni Adami* portandam, sed illius cœlestis, ait: *nam imaginem terrenam portat, qui secundum carnem vivit & perficit opera carnis: imaginem vero cœlestis, qui spiritu opera carnis mortificat.* Quod sicut sine exercitio potentiarum, & virtutum tanquam habitum fieri non potest, ita nec poterit *imago DEI* satiæ exprimi: unde S. Augustinus, si tamen ille liber ipsius sit, de quo multi cum Suarez dubitant, *lib. 65. quæst. 18.* ait: *Mens quando cogitat ea, quæ sunt æterna, tunc verè imago DEI dicenda est.* Et paulò infrà: *quanto se magis extenderit in id, quod æternum est, tanto magis inde formatur ad imaginem DEI.* Cui, ut alias fermè semper adhæret S. Thomas cit. priùs loco dicens: *quòd imaginis bujus perfectio in ejus actualitate, & virium exercitio sita est.* Ex quibus manifestum est, quòd ad perfectionem *imaginis* pertineant actus, & virtutum exercitia, quamvis substantialiter in illis ratio *imaginis* non confusat; quia DEUS creavit hominem ad *imaginem* suam ab initio, ubi adhuc non erant opera hominis, sed sola conjunctio animæ cum corpore, in qua anima primariò, & substantialiter *imago DEI* constituit.

Quæres adhuc, an illud Scripturæ: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, faciat eundem, aut duplicum sensum, ut aliud significet imago, aliud similitudo?*

Duæ sunt in hoc puncto sententiae. Prima tenet, quòd *imago*, & *similitudo* non significant res diversas, sed majoris claritatis causâ appositam esse *similitudinem*, vel solum denotare, *imaginem* illam esse valde perfectam. Ra-

tio hujus, quod diversa non significant, ex eo desumi potest, quod in SS. Litteris non semper conjungantur *imago & similitudo*, sic Genes. 5. v. 1. solum dicitur: *creavit DEUS hominem ad similitudinem Et cetera*. sicut in aliis locis tantum ponitur *imago*, ut Genes. 9. v. 6. *ad imaginem DEI factus est homo*, ita etiam Ecclesiast. 17. dicitur: ergo signum esse videtur quasi manifestum, quod idem significant. Cui sententiae favere censetur S. Augustinus in *Imperfect. Gen. ad lit. cap. ult. ad finem*, ubi alios arguere videtur dicens: *quasi posset esse imago aliqua, in qua similitudo non sit; si enim similis omnino non est, profecto nec imago est*: ergo judicat S. D. *imaginem idem re ipsa dicere, quod dicit similitudo*. Sed quia S. Thomas in articulo 9. quest. 93. expressè docet, *similitudinem distingui ab imagine, tenenda est*

Secunda sententia, quæ *imaginem non confundit*, cum similitudine; haec enim juxta S. Thomam latius patet, quam *imago*; & in aliquo sensu præcedit *imaginem*, & in altero subsequitur; quia non hoc ipso *imago est*, ubi *est similitudo*; nam homo etiam secundum corpus & potentias ejus est *similis DEO*, sicut & aliæ creaturæ secundum ideas, quas habent in mente Divina, & in hoc sensu *similitudo est preambulum ad imaginem, in quantum est communius, quam imago*. In alio sensu subsequitur *imaginem*, in quantum significat *expressionem imaginis*, & *perfectionem*, quæ consistit in operationibus, ut suprà monuimus, ex quibus relucet *similitudo*, cum *imago primo, & propriè sit in essentia animæ repræsentante essentiam Divinam*. Haec docet S. Thomas ex S. Augustino apud ipsum dicente: *sunt, qui non frustra intelligunt, duo dicta esse ad imaginem & similitudinem, cum, si una res esset, unum nomen sufficere posuisse*. Unde & S. Damascenus apud eundem S. Thomam ait: *quod est secundum imaginem, intellectualem (scilicet animam) significat, & arbitrio liberum, & per se*

*poteſtatiuum: quod autem ſecundum ſimilitudinem, virtutis, ſe-
cundum quod homini poſſibile eſt, babere ſimilitudinem.*

Ad rationes 1. ſent. Responderi poſteſt, quod si Scriptura ſemel exprimat *imaginem & similitudinem*, neceſſe non ſit, toties utramque ponere, quoties de homine loquitur, quia ſatis hujus rei intelligentia ex una, & altera, utriusque poſitione haberſi poſteſt. Ad Auth. S. Auguſt. dicendum eſt, eum loqui de ſimilitudine latè ſumpta, quod colligitur ex modo ipsius loquendi: *ſi enim ſimilis omnino non eſt*: loquitur ergo contra illos, qui nullam omnino ſimilitudinem admiferunt, quod nos non afficit.

Alii diſtinguunt *imaginem*, & *ſimilitudinem* per hoc,⁴¹ quod *imago naturam, ſimilitudo gratiam referat*. Ratio hujus opinionis eſt, quod *ſimilitudo* non ſine Mysterio fuerit appoſita, ſed pro singulari utriusque vocis ſignificatione, quod ex illo Damasceni statim laudati documento colligitur, & etiam ex Apostolo ad *Coloff. 3.* apparet: *renovari ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum, renovari* ſupponit *imaginem* quoad eſſentiam animæ, & ſimilitudo fit per gratiam, quod more ſuo eleganter exprimit S. Leo Papa ſerm. I. de *Jejunio decimi Mensis*: „Si fideliter, „Dilectissimi, atque ſapienter creationis noſtræ intelli- „gamus exordium, inveniemus hominem ideò ad ima- „ginem DEI conditum, ut imitator ſui eſſet Autoris: & „hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in no- „bis quaſi in quodam ſpeculo Divinæ benigntatis forma „reſplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gra- „tia Servatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigi- „tur in ſecundo. Cauſa autem reparationis noſtræ non „eſt niſi misericordia DEI, quem non diligemus, niſi „priùs nos ipſe diligere, & tenebras ignorantiae noſtræ „ſuæ veritatis luce diſcuteret.

Sed

Sed quamvis ista pro moderno statu omnino quadrant; quia tamen quæstio hic est, an in primo homine diversa ratio imaginis & similitudinis sit, prior opinio præferenda censetur, quia magis ad litteram, & sensum primarium pertinet, hæc verò posterior opinio potius spiritualem, & quasi secundarium sensum continet; DEUS enim ita produxit hominem ad imaginem suam, ut similitudinem, quam habebat innatam, voluerit per sua dona perficere, & ita *similitudo* potius appellat super illud *virtutis*, ut Damascenus ait, *imago* verò super *intellectuale*, seu animam. Ex his defumendum est, quinam sit terminus illius imaginis, vel relationis ex parte hominis respectu sui prototypi; cum enim certum sit, DEUM esse terminum tanquam exemplar hujus imaginis, quia tamen in DEO multa sunt, dubium est, cuinam attributo quasi in particulari respondeat? S. Thomas *cit. quest. art. 5.* statuit, DEUM ut unum tanquam terminum illius imaginis; nam postquam rejecit illorum opinionem dicentium: in homine esse solum imaginem *Filiī ex eo*, quia alias *Pater* non diceret, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sed tuam, id est, filii: infert ad finem: *imago DEI* est ipsa essentia Divina, & sic immediatè terminus imaginis; quia cogitatione nostra primò attingimus DEUM ut *Unum*, subinde ut *Trinum*, ita ut juxta modum nostrum concipiendi terminus quasi secundarius, vel potius subsequens sit *Trinitas*, quod colligitur ex illo S. Th. *dicendum est, in homine esse imaginem DEI, & quantum ad naturam Divinam, & quantum ad Trinitatem Personarum*, ubi prius imaginem respectu DEI illius *Unius*, & dein respectu *Trinitatis Personarum* intelligit. Et ideo terminus imaginis non est aliqua determinata Persona, *Pater*, vel *Filius &c.* sed essentia, in qua Personæ conveniunt, & sic etiam subeunt rationem termini ut per-

personaliter distinctæ secundum illud sèpè repetitum: faciamus imaginem ad similitudinem nostram, atque hinc rejicitur etiam illud, quod nomine similitudinis intelligatur Spiritus Sanctus, quia sine ratione afferitur. Cæterum de præstantia hominis supra cæteras creaturas attigisse videntur Poëtæ Ethnici: certè Ovidius lib. 1. *Metamor.* antiquissimorum Theologorum Sententias elegantem metrō expressit:

*Natus homo est: sive bunc Divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris Origo,
Sive recens tellus, seductaque ruper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cœli,
Quam satus Japeto mistam fluviahibilis undas
Finxit in EFFIGIE M moderantam cuncta Deorum.
Sic modò, quæ fuerat rudis, & sine imagine tellus,
Induit ignotas HOMINIS conversa figuræ.*

Satus Japeto est Prometheus; finxerunt Poëtæ, illum ex terra fecisse hominem, ignem autem coelestem, qui ipsis anima erat, à Diis furatum esse, cùmque corpori indidisse: hinc subjungit Ovidius

*Igneus est Ollis vigor, & cœlestis Origo
Semibibus &c.*

In his & formationem corporis Adam ex terra, & per ignem illum de cœlo infusionem animæ designat. Sèpè etiam in aliis ad Scripturas alludunt, ut constat ex Virgilio de Campis Elysii, de poemis malorum in sua Æneide canente, ut meritò legisse videantur Scripturam de creatione Mundi, de Diluvio, sicut & de Aristotele circumfertur, eum, postquam legisset Pentateuchum Moysis, dixisse: *bic homo multa dicit, sed nihil probat.* Plura de veteribus Philosophis, & Poëtis, qui materiam fabula-

rum suarum ex SS. Litteris desumpserunt, tradit Eru-
ditissimus Pater Pexenfelder S. J. in *Ethica Symbolica*.

ARTICULUS III.

An, & quantam Scientiam acceperit primus homo?

4² **D**iximus in prioribus à num. 22. hominem fuisse crea-
tum perfectum, quoad corpus, animam, & poten-
tias, quibus accedunt aliæ perfectiones ad ordinem
naturæ pertinentes, quæ naturam, & potentias exornant,
ut sunt habitus potentiarum superadditi, & actus ab habitu-
bus provenientes; actus quidem non à solo DEO im-
mediate procedunt, sed mediantibūs habitibūs, ut tamen
DEUS suum co-naturalem concursum præbeat juxta prin-
cipia ex Philosophia notissima, abstrahendo hīc à con-
cursu prævio, vel solum concomitante, quæ discutere non
est animus: loquimur igitur de scientia Adami, & Evæ,
quam non excludimus ab hoc dono speciali, cum pro-
portione tamen ad Adam, velut caput, considerato. Hu-
jus nobis occasionem dat Ecclesiasticus cap. 17. postquam
dixit, quod creavit DEUS hominem ad imaginem suam,
& ex ipso adjutorium simile, ait v. 5. *Consilium, & lin-
guam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & di-
sciplinâ intellectus replevit illos.* v. 6. *creavit illis scientiam Spir-
itus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit illis:*
v. 7. *posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis ma-
gnalia operum suorum v. 8. ut nomen sanctificationis collaudent;*
& gloriari in mirabilibus ejus, ut magnalia enarent operum ejus.
Quid excellentius dici posset de utroque, cùm sacer tex-
tus semper in plurali loquatur, ut non solum Adam, sed
& ipsius adjutorium Evam concernat illorum donorum
præstantia, quantum scilicet Evam decuit tanquam *Ma-
trem viventium*, quamvis principaliter de Adamo intelli-
gen-

genda sint. Videtur equidem sermo esse potissimum de donis supernaturalibus, quia tamen dicta sunt universalia, accipienda sunt etiam de naturalibus, de quibus ex professio agimus. Unde

Dicendum est igitur I. Adamum omni scientia quo-43 ad res naturales fuisse præditum statim à principio suæ creationis.

Desumitur I. ex illo Genesis 2. v. 19. *Formatis igitur de terra cunctis animantibus &c.* Dominus DEUS adduxit ea ad Adam: v. 20. *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia;* ex quibus S. Thom. quest. 94. art. 3. in *respon- fione sed contra sic argumentatur:* Adam imposuit animanti- bus nomina naturæ cuiusvis congruentia: ergò debuit... cognovisse omnium naturas; quia nemo potest conve- nienter naturæ nomen imponere, nisi naturam non tan- tūm quomodocunque cognoscat, sed intimè penetret, alias in impositione nominis errare posset, quod esset ab- surdum dicere de primo homine, qui sicut secundum... corpus, & animam, ejusque potentias in omni perfectio- ne naturali fuit productus, ut ex dictis patet, ita secun- dum scientiam naturalium.

Confirmatur I. Adam in ea perfectione quoad cor- pus fuit productus, ut statim potuerit generare, quia con- stitutus est principium generationis: ergò etiam ea per- fectione quoad Scientias fuit ornatus, ut alios potuerit... instruere, & gubernare, quia constitutus etiam fuit prin- cipium instructionis, & gubernationis, & ideo, infert S. Thomas cit. loco: *primus homo sic institutus est à DEO, ut ha- beret omnium Scientiam, in quibus homo natus est instrui,* hæc tamen Scientia non se extendit ad ea, quæ singulariter DEO reservata sunt, ut cogitationes hominum, futura contingentia, quæ ad gubernationem illam sensibilem... non pertinent. Et hoc eò minùs in homine admitti po- test,

test, quod & Angelis plerumque Theologi cognitionem Secretorum cordis, & futurorum contingentium dene-
gent ad mentem S. Thomæ de Angelis i.p. quest. 57. art. 3.
¶ 4. per totum.

Confirmatur II. Hominem creari cum perfecta Scientia fuit conveniens ex parte DÉI, quia ejus *opere perfecta* sunt: ergo ex hoc capite cum perfecta scientia fuit creatus Adam: fuit etiam conveniens ex parte hominis primi, quem tanquam caput collecta tenere oportuit, quæ in posteris dispersa sunt: ut colligitur ex S. Th. cit. loc. ad 2. ubi ait, *quod Adam debebat aliquid habere perfectionis, in quantum erat primus homo, quod ceteris hominibus non competit*: ergo etiam ex parte Adami conveniens fuit, eum produci cum perfecta scientia. Ab illa scientia S. Thomas etiam excludit cognitionem quorumdam singularium, Puta, ait: *quot lapilli jaceant in flumine, & alia similia*, ratio hujus esse potest: sicut DÉUS non deficit in necessariis, ita non abundat superfluis in institutione rerum: sed notitia talium naturalium erat superflua, ut patet de notitia cogitationum, & futurorum: ergo non debuit communicari homini. Cæterum hæc scientia fuit statim infusa Adamo ab initio, vel ut ait S. Thom. hic ad 1. *primus homo habuit scientiam omnium per species à DEO infusa*. Fermè sicut Angeli juxta ipsum à principio suæ creationis accéperunt species omnium rerum, cum hæc tamen differentia, quod in Angelis sint universaliores, quam in Adamo; nam sicut Angeli excedunt hominem in immaterialitate, ita in intellectualitate; consequenter, cum DÉUS in productione prima tam Angelorum, quam hominis respexerit ad perfectionem actualitatis, majora communicavit Angelis, quam homini, & ideo illi proximiùs accedunt DÉO, & hominem etiam *Primum longè intervallō post se relinquunt*.

Di-

Dices I. Non necessariam fuisse homini scientiam omnium rerum naturalium ad instructionem, & gubernationem aliorum, præsertim ab initio, cum ibi nemo fuerit præter Eum, quæ vi *donorum suorum* scipsem poterat dirigere, & gubernare: in ordine vero ad alias instruendos, & gubernandos potuisset illarum rerum scientiam aquirere per *experimentum*, ut ait S. Thom. & per usum potentiarum suarum, quibus subinde accessissent, habitus generati per frequentatos actus; nam in ipsa natura, & potentissimis sunt quædam semina scientiarum, & virtutum naturalium, ut docent communiter Philosophi cum Theologis ad mentem Doctoris Angelici, & aliorum; ad quid ergo infundi tantam scientiam opus fuit, vel oportuit?

II. Adam tantum habuisse Scientiam omnium rerum corporalium inferiorum, non superiorum, quia eorum cognitio necessaria non fuit ad gubernationem aliorum, & sic Adamum non accepisse notitiam *Cælorum, Stellarum, Terræ, & Maris*, quia istorum cognitio est reservata DEO juxta illud Psal. 146. ubi de DEO dicitur: *Qui numerat multitudinem Stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Et alias notitia cœlorum, & terræ Universim ait hic Cajetanus, *perfecta* ad totius Universi scientiam pertinet, quia sunt prima hujus universi principia, & propterea merito Divinæ nominationi reservata sunt simul cum maribus &c.

Respond. ad I. Nos hic agere de perfectione primi hominis in suo exordio, quem dicimus fuisse ita perfectum, ut illum nullus ex posteritate superaverit, nec ad quadrare ordinariè potuerit, id quidem ex eo, quod opotuerit, ipsum tanquam caput aliorum talib[us] ornari scientiis, & ut infra dicemus, virtutibus. Atque hoc, ut sappè diximus primæ productioni conveniens erat. At, inquis, hanc Scientiam potuisset aquirere per propriam in-

dustriam? transeat hoc, sed ergò Adam minor fuerit aliis animantibus, quæ in sua omnimoda perfectione creata sunt, ut ipsis nihil defuerit? Dein, quamvis ab initio nemo fuerit, quem Adam instrueret, & gubernaret, an ideo non conveniens erat, ipsum creare talem, ut potuerit instituere, & gubernare? cùm tamen S. Thomas *cit. quest.*

Et art. 3. dicat: *institutus* est homo in statu perfecto quantum ad animam, ut statim posset alios instruere, & gubernare, sed non potest aliquis instruere, nisi habeat scientiam. Sed, replicas, nemo tunc erat, quem poterat instruere, quid tum? ergò debuit primùm aquirere scientiam? nego consequentiam. Nam, ut modò suppono, omnia naturalia remanserunt in Adamo, & sic scientia, & notitia rerum naturalium post peccatum, sicut juxta communem Theologorum opinionem remanseré in Angelis etiam damnatis: quamvis igitur Adam non habuerit à principio, quem instrueret, aut dirigeret, habuit tamen postea, quia, ut suprà dixi, vixit diutissimè. Dein aquirere scientiam labore proprio est res longissimi temporis, & magni conatus, dum ipsa experientia monstrante homo suis naturæ viribus relictus vix unam scientiam rerum naturalium perfectè possit aquirere, imò propè impossibile est, ut unam in gradu tam perfecto possideat, quod minus aliqui errores se immisceant. Si ergò Adam non accepisset scientiam rerum naturalium ab initio infusam, diu fuisset in ignorantia, quod dicere valde absurdum est; unde rectè Interpretes, & Theologi, præser-tim Perierius h̄c *quest. 1.* & Suarez *lib. 3. loc. cit.* existimant, pertinere ad Providentiam Authoris naturæ, creare hominem ita perfectum, ut sine errore naturales veritates posset cognoscere.

Ad H. Respondeo, Adamum non tantum habuisse Scientiam corporalium inferiorum, sed etiam superiorum,

rum, puta cœlorum, astrorum &c. fuisse tam perfectum Astronomum, & Astrologum, qualem post ipsum mundum non viderit; sic etiam certum est, cum novisse dispositionem orbis, virtutes elementorum, herbarum, & quæcunque nōsse oportuit *Primum hominem*, qui alios docere, & instruere debebat. Nec verum est, quod Cajetanus ait, notitiam *superiorum* adeò DEO soli reservatam esse, ut non communicetur alteri &c. Sic enim arguo I. tam ampla rerum notitia etiam Angelis est communicata, ita ut omnia naturalia comprehensivè cognoscant secundùm doctrinam S. Thom. & sequacium ejus *de Angelis*: ergò etiam communicari potuit, & communicata fuit Adamo, licet non eodem modo, & in eadem perfectione, quia Angeli sunt majoris *actualitatis*, & hoc ipso *intellectualitatis*, quam homo; interim tamen primus homo fuit omnium perfectissimus quoad animam, & ejus potentias, consequenter capax illius Scientiæ, quæ naturalis est: ergò reservatio illa gratis asseritur. Sed repetes, solus DEUS numerat multitudinem Stellarum & eis nomina vocat. Nihil profectò dicis; hoc enim ad notitiam cœlorum, & stellarum non requiritur; nam Adam non omnibus rebus imposuit nomina, quorum tamen scientiam perfectissimam habuit, puta, non dedit nomina arboribus, herbis &c. & tamen quis neget, earum habuisse notitiam, quam posteà, etiam è Paradiso ejectus, instruendo transmisit ad posteros. Arguo II. *Sap. 7. à verfu 17.* dicitur, Salomon prædictus fuisse à DEO multiplici scientia, ut de se ipso testatur: *Ipse dedit mihi horum, que sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & mediatem temporum, vicissitudinem, permutationes, & commutationes temporum: Anni cursus, & Stellarum dispositiones, Ecce! Astronomum! naturas animalium - - vim ventorum - - differ-*

ferentias virgulorum, & virtutes radicum, & desique v. 21. concludit: Quaecunque sunt absconsa, & impervia, didici, omnium enim artifex Sapientia me docuit. Si Sapientia haec tot, & tanta docuit Salomonem, quis Adamo denegabit? Si David Stellarum, & Lunae notitiam dedit secundum illud Psal. 8. Quoniam video caelos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, que fundasti. An ea caruisse Adamus censendus est? qui tamen Primus omnium pater non inpeccato conceptus est, sicut David facetur Psal. 50. In peccatis concepit me Mater mea. Qui non in ventre Matris figuratus est, ut Salomon Sap. 7. v. 1. sed qui de manu DEI immediatè prodivit purus, & illibatus. Qua ergo ratione Cajetanus negare potuit Adamo scientiam Stellarum, & aliorum Superiorum, quam tamen aliis concessam esse, ignorare non potuit. Si aquis oculis S. Thomam, cuius Doctrinam sequitur, legisset, ad verba ipsius erubuerit quest. 94. art. 1. in Corp. que studiosè repetenda sunt ad confusionei Cajetani: *Primus homo, ait S. sic institutus est a DEO, ut haberet omnium Scientiam, in quibus homo natus est instrui, & haec sunt omnia illa, que virtualiter existunt in primo principiis per se notis, quae curaque scilicet naturaliter homines cognoscere possunt.* Assumo: sed homo natus est, instrui notitia celorum, astrorum & elementorum: *homines ea omnia, quia naturalia sunt, cognoscere possunt:* ergo Adam istorum omnium habuit scientiam: ergo Cajetanus est contra summum Doctorem ex ratione, ait Pererius hic Lib. 5. cap. 2. quest. 2. infirmissima.

45 Dicendum II. Primum in Adamo scientię objectum fuisse DEUM. Colligitur ex S. Thom. cit. quest. 44. art. 1. ubi querit: *Utrum primus homo per essentiam DEUM videbit?* Et Resp. negativę: ergo juxta S. Thom. saltem alio modo Adam DEUM cognovit.

Ra-

Ratio est: primum objectum hominis erat in statu naturae lapsus est DEUS: ergo multò magis in statu innocentia, quia tunc homo perfectiori scientia erat præditus, & alias habuit intellectum nulla passione perturbatum. Antecedens probatur: Illud necessariò est objectum, ad cuius cognitionem & amorem homo est ordinatus: sed ad cognitionem & amorem Creatoris homo est ordinatus: ergo DEUS necessariò est objectum hominis. Confirmatur ex illo Sapientiae cit. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut uomen sanctificationis collaudent, Et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrant operum ejus; sed hunc finem obtinere non potuisset Adamus, nisi præprimis cognovisset DEUM: ergo primarium objectum scientiae in Adamo, ad quod cetera ordinantur, est DEUS. Insuper Sapientiae 3. ¶ 1. dicitur: Vani sunt omnes homines, in quibus non subsistit Scientia DEI, Et de his, que videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est: sed Adam in primo statu vanus non fuit: ergo habuit Scientiam DEI. Unde S. August. l. 10. Confess. cap. 6. ait: Cœlum Et terra, Et omnia que in eis sunt, ecce! undique mihi dicitur, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles: si ergo coeli enarrant gloriam DEI, quorum notitiam perfectam habuit Adamus, non potuit non cognoscere in illis DEUM tanquam factorem eorum.

An autem scientia Adami fuerit alterius rationis, 46 quād modò est nostra, dubium est. S. Thomas cit. quest. 104. art. 3. ad 1. ait quidem, quod primus homo habuit scientiam omnium per species à DEO infusas, nec tamen scientia illa fuit alterius rationis à scientia nostra. Cujus instantiem ponit in eo, quod oculi, quos cæco nato Christus dedit, non fuerint alterius rationis ab oculis, quos natura producit. Quasi diceret: licet modus aquirendi scientiam in Ada-

mo fuerit alius, cùm illa fuerit illi *per accidens* infusa, non tamen per hoc est alterius sp̄ciei, quām sit nostra, quam conatu proprio, & connaturali aquirimus per conversiōnem ad phantasmata; sicut oculi *ceci nati* sunt ejusdem rationis cum nostris, quos naturā aquirimus; quamvis *cucus natus* illos acceperat per miraculum. Sed hæc non consequenter dicta videntur à S. Thoma, cùm quæst. 94. art. 1. scientiam Adami longè supra nostram extollat: *cognoscēbat*, ait ibi in 6. *circa medium*, *quandam altiori cognitione*, quām nos cognoscamus: *& sic quodammodo ejus cognitione media erat inter cognitionem presentis st̄atis, & cognitionem Patriæ, qua DEUS per essentiam videtur.* Pro cuius evidētia, ut S. D. loquitur, considerandum est, quòd quantò aliqua creatura est altior, & proximiùs accedit ad DEUM, tantò per eam DEUS clariùs cognoscitur: cùm ergò Adamus omnibūs hominibūs fuerit altior, eò perfectiùs, & clariùs DEUM cognovit. Et hujus ratio est, quòd nos in cognitione DEI plurimūm impediāmur à partibus animæ inferioribus & sensibilibus, à quibus distrahimur, ut non possimus tam altè contemplationibūs nostris ad DEUM assurgere. Adam autem, cùm inferiora ipsum non distraherent, utpote plenè rationi subjecta, nullum impedimentum patiebatur quoad contemplationem DEI, & intelligibilium effectuum, quos ex irradiatione primæ veritatis perceperat, sive naturali, ut sentit S. Thom. cit. loc. cognitione, sive gratuita. Pro quo videtur stare S. Augustinus lib. II. de Gen. ad Litt. cap. 33. à principio, ubi quasi dubitans ait: *fortassis DEUS primis hominibus ante loquebatur, sicut cùm Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, et si non tanta participatione Divina esset, quantum capiunt Angeli.* Ut verò consequentia doctrinæ in S. Th. appareat, sciendum est, hæc duo rectè componi posse, scilicet Adami scientiam fuisse ejusdem cumno-

nostra rationis, & tamen fuisse excellentiore in perfectioribus accidentalibus, & præsertim in actuali consideracione, atque hoc ex ratione S. Th. quia scilicet primus homo non habebat illa impedimenta, quibus nos implicatus sumus, quod minus recte possimus ad contemplationem DEI ascendere, constat ergo sibi doctrina Angelici Doctoris.

Post DEUM etiam Angeli continentur intra obiectum Scientiae primi hominis, quamvis non potuerint cognosci per essentiam ab Adamo, ut expressè docet S. Th. quest. 94. art. 2. per totum, ubi in Corp. ad finem concludit: *Sic igitur anima primi hominis non poterat quidem videre Angelos per essentiam (id est quidditative) sed tamen excellentiorem modum cognitionis habebat de eis, quam nos habemus.* Cujus ratio est, quod cognitione illius magis certa, & fixa circa intelligibilia fuerit, quam nostra, cum à scientia infusa processerit, & à speciebus infusis circa objecta. Probat. assertio à minori: Philosophi etiam gentiles sine revelatione solo rationis acumine in cognitionem Angelorum devenerunt: ergo à fortiori Adam mediante scientia infusa; quia quidquid naturaliter aquiri potest ab hominē in statu naturæ lapsæ, id perfectius cognosci potuit ab Adamo per scientiam infusam. Ant. prob. ex Philosopho lib. 8. Physicorum. 12. Metaph. 6⁵ 1. de Cœlo. ubi ex motibus coelorum cognovit intelligentias motrices, quæ in sistente Peripatetico sunt Angeli juxta Suarezium cit. loc. cap. quæcum. 19. imo ibidem addit; Philotopum exinde in aliquam cognitionem pluriū substantiarum separatarum supra coelum habitantium pervenisse. Et exinde existimat, quod Eva per scientiam illam infusam intelligere potuerit, serpentem, a quo tentata fuit, non fuisse verum animal irrationale, sed spiritum aliquem separatum, qui illud corpus, & figuram induisset, quod tamen huic Auctori

& tñri defendendum relinquimus. Alterum, quod sub-jungit, dubium est, an scilicet Angeli sub objecto illius scientiæ ita fuerint comprehensi, ut Adam illos potuerit directè, & per proprias species cognoscere? Hoc negat Suarez, & quidem ideo, quia hujusmodi species non sunt connaturales homini, cùm per sensus aquiri non possint: sed si species illæ connaturales homini non sunt: ergò Adam non habuit. Et licet hoc animæ separatae admittat tanquam capaci similium specierum propter absentiam corporis, non tamen primo homini communicatum esse putat, eò quòd cognoscat objectum cum dependentia à phantasmatis, quod anima separata non habet. Intuper advertit, duo posse de Angelis naturaliter cognosci, vel possibles esse, vel factos esse. Primum per scientiam illam cognosci potuisse admittit, & quidem cum evidenter quadam, & certitudine naturali, quamvis confuso quodam, & imperfecto modo: Secundum autem, nempe existere Angelos, cùm à libera DEI voluntate dependeat, sicut naturaliter minus notum esse hominibus, & etiam Adamo fuisse, quamvis non neget ex magna probabilitate, & vobementi conjectura, quòd Adamus assequi illud potuerit multò perfectius, quam Philosophi naturales id cognoverint. Perfectò hie Auctor non adeò multò Adamum supra nos in statu naturæ lapsæ sustollit. Sed

48 Contra est I. Ideo Adamus non potuit cognoscere Angelos directè, & per species proprias, quia tales species non essent connaturales homini: sed hæc ratio omnino invalida est: ergò nihil sequitur. Maj. est Suarezii: min. prob. ad hominem: quamvis aliæ homini univetsim non sit connaturalis scientia per accidentem infusa, nihilominus hic admittit in Adamo & Eva scientiam illam infusam: iterum licet non sint connaturales species rerum infusæ, cùm naturaliter aquiri possint ab objectis, tamen S. Th. su-

suprà laudatus assertit, species rerum naturalium Adamo fuisse à DEO infusas, quod ipse hic Author docet cit. statim loc. num. 7. ex ratione, quod tales species non sint aquisitæ, sed *inditæ*: sed *habitus scientie* sine *speciebus intelligibilius* non posset in actum prodire, nisi post species *aquisitas*, & vel ideo talis *habitus* esset valde imperfectus: ex quibus legitime infero: ergo licet species, quibus Adam immediate, & directè cognovisset Angelos, non sint connaturales homini cuique, potuit tamen habuisse Adam ut primus, & perfectissimus hominum. Imò vel maximè juxta hunc Authorem, qui admittit, etiam phantasmata, ad usum illius scientiæ, & specierum intelligibilium necessaria, fuisse infusa, quia utique non potuisset illa aquirere nisi post longum tempus, quod non conveniebat perfectioni illius statū.

Contra est II. Si Adam cognovit possibilitatem An. 49 gelorum cum *evidentia quadam*, & *certitudine naturali*, quomodo modus cognoscendi potuit esse *confusus*, & *imperfectus*? certè hic loquendi modus vix non scipsum destruit, quomodo enim stabit *evidentia*, quæ juxta Philosophos consistit in *indivisiibili*, nec capit majus aut minus, cum modo illo *confuso*: qui modus *imperfectus* cum certitudine naturali? hæc componat, quisquis velit, ego saltem non possum; existimo autem, facilius cognosci posse rei aliquius existentiam, quam possibilitatem, cum longè remota sit illa prædicatorum convenientia, vel non repugnantia, in quibus possibilitas consistit, nisi semper, ut solet, ad omnipotentiam Divinam recurratur. Et quidem de Adamo videtur mihi longè probabilius; dicit enim S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 1. in principiis: *In Paradiſo quippe affuerat homo, verbo DEI perfrui, bonorum, Angelorum spiritibus munditiā, & celsitudine visionis interesse.* Et quamvis Th. cit. quest. 94. art. 4. non admittat, quod Adam vi-

derit Angelos per essentiam, addit tamen ad finem Corp. sibi : propter tamen eminentiam (scilicet in primo homine) Gregorius dicit, quod intererat Angelorum spiritibus. Si interfuit, utique facilius eorum existentiam cognovit, quam si non interfuisset, potuisset illorum possibilitatem cognoscere?

50 Superessent adhuc dubia multa circa hanc materiam de Scientia primi hominis, præsertim illud, an Adam fuerit perfectior, & sapientior Salomone? S. Thomas in Scholasticis quidem in Parte, quam tractamus, nihil habet, nisi quod Adam fuerit omnium perfectissimus, quia immediate productus à DEO, & hoc quidem semper à minori ad majus, quod scilicet alia animantia fuerint omnibus numeris absoluta: ergo à majori homo, ceteris dominans. Ratio autem pro Salomone potest esse I. Sapientia Salomonis fuit infusa, non proprio labore aquifita, sicut illa Adami : ergo, si non supra scientiam Adami, saltem æqualis: ergo Adam simpliciter loquendo non omnium perfectissimus, & sapientissimus fuit. Anteced. videtur certum ex illo Sap. 7 v. 7. optavi, Et datus est mihi sensus: invocavi, Et venit in me Spiritus Sapientie: ex quibus utique certum esse videtur, quod illam sapientiam antea non habuerit, sed primum post votum, & invocationem obtinuerit à DEO infusam, quod satis manifestè colligitur ex antecedentibus, & consequentibus illius capit. 7. sap: conseq. ergo jam non est dubia, nec potest Adam simpliciter dici omnium sapientissimus; nam pro Salomone est ratio II. lib. 3. Reg. cap. 3. v. 12. ait Dominus ad Salomonem: dedi tibi cor sapiens, ut intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrendurus sit: ex quo sic arguitur: nullus autem fuit sapientior, ut intellegaret, quæ intellexit Salomon: Adam fuit antea: ergo non fuit similis, multò minus sapientior. Quod post

post Salomonem non fuerit sapientior, vetus, & novum testamentum testatur. Ratio est III. potuit DEUS alicui infundere tantam scientiam, & etiam majorem, quam habuit Adam: ergo ipse non fuit simpliciter, & absolutè sapientissimus; & cum modò non constet de alio, ex textibus tam claris, etiam suprà num. 41. citatis videtur concessisse Salomoni. Sed tamen

Respondendum est ad hæc, & quidem ad I. concedendo antec. quoad priora, negando autem tò *sicut*; quia non est eadem ratio de Salomone, quæ pugnat pro Adamo; hic enim erat primus *Homo*, & caput totius posteritatis, ideo in illo oportuit relucere perfectiones aliorum; Salomon autem tantum erat Rex unius populi, qui respectu universi erat prorsus exiguis: ergo non est paritas ratione *scientie per accidens infuse*, consequenter illa prior consequentia subsistit, nec est dubia, & potest Adam vihuius argumenti adhuc dici omnium *Sapientissimus contra Sapientem*. Nec aliquid evincit II. Ratio pro Salomone; nam

Resp. dist. Maj. nullus antè fuit sapientior, ut inteligeret, quæ Salomon intellexit inter homines posteriores Adamò, transeat Maj. quoad Adamum nego Maj. absolutè, & in hoc sensu distincta min. nego conseq. ratio responsionis est, quia non facta est comparatio ad omnes omnino homines, & ad omne genus *Sapientiæ*. Quin imò cit ibidem loc. videtur comparatio facta solum quoad homines, qui tunc à sapientia erant noti; nam cap. 4. v. 30. dicitur: *præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Egyptiorum &c.* inter quos haud dubiè excelluit. Potest etiam explicari textus de Scientia Politica in ordine ad regendum populum, ut colligitur ibi 3. Reg. cap. 3. v. 9. ex verbis Salomonis: *Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum judicare possit, & discernere in-*

inter bonum, malum &c. in quo P. Suarez cit. loc. cap. 9. ad finem admittit, quòd Salomon superaverit Adamum; quia tanta scientia practica, & civilis ejus statui tam necessaria non fuit, sicut Salomoni, & hanc vel ideo à DEO tam ardenter petiisse videtur, quam & obtinuit perfectissimam. Sed tamen insistendo principiis S. Thomæ suprà adductis nec in istis superavit Adamum, si utriusque scientia in se, & quasi in *actu primo* spectetur, quamvis Salomon majorem occasionem habuerit, eam exercendi, quam non habuit Adamus statim ab initio ex defectu eorum, quos regeret, ratio est alibi assignata; quia scientia Adami se extendit ad omnia, in quibus homo natus est instrui: sed utique homo natus est instrui in scientia vel prudentia Politica: ergò illam habuit Adam perfectissimam in se, & quidem non ut particularis Persona, qualis fuit Salomon, sed ut *Caput omnium*.

Ad III. rationem conced. antec. neg. conseq. vel gratis dist. Adam non fuit Sapientissimus respectivè ad alios possibles conced. conseq. respectivè ad præteritos, & præsentes neg. conseq. ratio est, quòd DEUS vi omnipotentiaz suæ quacunque re quomodocunque perfecta posset aliam perfectiorem producere, ut diximus suprà num.

36. *ad finem.* Dein non est bona argumentatio à potentia ad actum: potuit DEUS aliquem æquè, aut magis perfectum in Scientia producere: ergò produxit, & ille est Salomon, quod sanè sine sufficienti ratione asseritur. Nec ipse Salomon adeò amplificavit sapientiam, quam nemo melius ipso novit, sed eandem potius restringit; nam Ecclæsiastis *cap. 1. v. 16.* profitetur: *Ecce! magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiæ, qui fuerunt ante me in Jerusalem.* Illos præcessit, qui fuerunt ante ipsum in Jerusalem, non *omnes simpliciter*, hoc posterius negamus, illud priùs concedimus sine præjudicio Adami, qui nunquam fuit in Je-
rusa-

rusalem. Manet ergò sua scientia Salomonis tanquam homini respectivè privato, & sua Adamo, ut Capitu-
tius generis humani.

Dicendum adhuc esset de virtutibus Adami, quass i
brevitatis causâ potius supponimus, quām probamus: est autem communis opinio Theologorum, primos ho-
mines fuisse creatos in omnibus virtutibus, & bonis ha-
bitibus moralibus, qui per actus humanos aquiri possunt,
ut adeo habitus illi primis parentibus tantum per *accidens*
fuerint infusi. Loquimur autem hīc de virtutibus in li-
nea naturali moralibus, de supernaturalibus postea seq.
quest. dicturi; & quamvis D.Thomas q. 95. art. 3. videatur
promiscuè loqui de virtutibus, hinc inde tamen intelligi
potest de moralibus. Ratio est iterum ex illo cit. Eccle-
siast. 7. *DEUS fecit hominem rectum, & 17. ibidem: DEUS creavit hominem,* - - - *& secundum se vestivit illum virtut.*

Confirmatur à pari I. *DEUS creavit hominem per-*
fectum quoad intellectum cum omnigena scientia: ergò
etiam quoad voluntatem cum virtutibus: paritas sem-
per assumi potest à perfectione intellectus in ordine ad
illam voluntatis; quia non minùs congruum erat, per-
ficere unam potentiam, quām alteram. De voluntate
quidem S. Augustinus lib. 14. *de Civit. Dei. cap. 10. de statu*
primi hominis ait: *nec aberat quidquam, quod bona voluntas ad-*
pisceretur: videtur ergò sentire, non defuisse virtutes.

Confirmatur II. ideo primus homo fuit ornatus tan-
tā scientiā, quia illa à SS.PP. & Theologis ad perfectionem
illius reducitur velut necessaria: ergò etiam fuit ornatus
virtutibūs. Ant. ex dictis constat. Conseq. prob. non
minùs, si non magis, virtutes morales ad hominis perfe-
ctionem pertinent; quia istae hominem ordinant ad
DEUM, illámque partis inferioris ad superiorem subje-
ctionem efficiunt, & harmoniam directissimam indu-
cunt

cunt; quod sola scientia nunquam præstisset: ergò si scientia ad perfectionem illius statū ut quasi necessaria pertinet, non minùs, & fortè magis ad eundem pertinent virtutes. Atque ideo Sapientissimus Suarez existimat, has virtutes primo homini communicatas fuisse in magnō perfectionis gradu, & meō judiciō recte sentit; nam S. Thomas scientiam Adami perfectissimam vocat, ut constat, & ideo, quia ad perfectionem primi hominis requirebatur: ergò & virtutes propter eandem rationem.

QUÆSTIO III.

De Homine quoad Gratiam, & dona supernaturalia considerato.

HAcenus egimus de perfectione naturali hominis in statu *Innocentie*, nunc altius ascendimus ad supernaturalia; quia ipsius finis ultimus, ad quem creatus est, non fuit tantum in linea naturali, sed ultimato in supernaturali, scilicet DEUS per essentiam olim videndus, qui solus appetitum creaturæ intellectus adæquat, complet, & satiat. Sunt equidem Theologi, qui putent, hominem ita fuisse creatum in statu *integritatis*, & *innocentie naturæ* absque elevatione *intrinseca*, ut notat hic Suarez cap. 17. *ad statum gratiae*, licet admittant, hominem extrinsecè à DEO ordinatum fuisse ad finem supernaturalē: cùm verò illum finem adipisci non potuisset sine gratia, examinandum hic est, an & quando homo gratiam, aliisque dona supernaturalia accepit. Pro quo sit

ARTICULUS I.

Utrum primus homo fuerit creatus in gratia?

S²DOCUIT Jansenius lib. *de gratia primi hominis*, esse dogma fidei, Adamum in gratia sanctificante fuisse conditum, quod

quod tamen Theologis falsum esse videtur; cum nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in SS. P.P. quidquam de hoc expressum sit. Sunt profectò celeberrimi Theologi de Ecclesia optimè meriti, qui contrarium docent, uti Magister sent. 2. dist. 24. S. Bonaventura in 2. sent. dist. 29. quest. 2. Alexander de Ales in summa 2. part. quest. 96. Scotus in 1. sent. dist. 29. quest. unica, ubi ad 4. dicit, quod si fuerit aliquod donum, scilicet justitiae originalis supernaturale, non tamen oportet, quod sit principium merendi; se enim habet ad gratiam, que est principium meriti, sicut excedens excesum. Juxta Scotum quidem illud donum supernaturale excedit gratiam, quia firmius voluntatem conjungit DEO, tanquam fini ultimo, quam gratia, ita ut etiam peccatum veniale excludat, quod non praestat gratia. A gratia autem exceditur in hoc, in quantum ipsa conjungit fini ut bono supernaturali, illud per meritum attingendo, quod juxta ipsum non confert illud donum, quia tantum conjungit bono ut convenienti, & deletabili. Ex quibus certum est, Doctorem Subtilem non agnosceré tanquam *de fide*, hominem fuisse creatum in gratia.

Illud tamen de fide certum est, Adamum ante ipsum gratiam sanctificantem habuisse, quia ita docent Concilia, & quidem Arausicanum II. in Canon. 9. Trident. sess. 5. Canon. 1. ubi anathemate ferit non conscientem, primum hominem, cum mandatum DEI in paradiso fuisset transgressus, statim Sanctitatem & Justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse: si amisi per peccatum, antea habuisse eandem necessum est; nemo enim perdit, quod nunquam habuit. Hoc ergo supposito

Dicendum est I. Primum hominem fuisse creatum in gratia. Haec assertio est aperte S. Thomae quest. 95. art. 1. intelligo autem conclusionem in sensu relato supra num.

num. 33. ad finem, quod scilicet DEUS in eodem instanti reali, quo produxit Adamum quoad corpus, & animam, produxerit etiam gratiam.

Probatur I. ex S. Augustino lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. circa medium dicente de angelis, quod DEUS simul erat in eis, condens naturam, & largiens gratiam: ergo etiam DEUS simul erat in primis hominibus condens naturam, & largiens gratiam. Prob. conseq. Ideo Sanctus Augustinus ait, Angelos esse creatos in gratia, quia statim, postquam facti sunt, amore, cum quo facti sunt, ei adhaeserunt: sed etiam primi homines statim amore, cum quo facti sunt, ei adhaeserunt: ergo & isti creati sunt in gratia. Minor, si negetur, ex Eodem evincitur satis clarè, nam de corrept. & gratia. cap. II. inquit: dederat homini DEUS bonam voluntatem, quippe eum fecerat rectum: ergo etiam homines primi, cùm statim sua voluntate, in qua facti sunt, DEO adhaeserint, creati sunt in gratia. Quod verò primus homo statim sua voluntate adhaeserit DEO, patet ex dictis de natura statū Innocentiae ex S. Thoma desumptis ab initio quest. I. intelligimus autem adhesiōnem illam per amorem supernaturalem.

Probatur II. ex Orat. 42. S. Gregorii Naz. ubi describens creationem hominis valde aperte insinuat perfectiōnem gratiæ, dum ait: *Creasse DEUM hominem velut Angelum alium, mixtum adoratorem, terrenum, & cœlestem, Spiritum, & carnem: & Spiritum propter GRATIAM, carnem ob elationem, & quod Mysterii extrellum est, animum ad DEI nutum, & propensionem Divinitatis.* Qui textus unum solùm dicit clarè de Gratia, alia confusa sunt; & cùm mihi Author ad manum non sit, ejus sinceritatēm relinquō Suarezio, qui illam pro se allegat, & insuper addit, S. Damascenum multa ex S. Nazianz. in sua scripta derivāsse. Quid quid sit, hoc tamen verum est, quod isti duo SS. PP. in mo-

modo loquendi de Adam in multis convenient; nam simile quid Damascenus lib. 2. de Fide cap. 12. dicit: *Creavit DEUS hominem innocentem, rectum - - - Angelum alterum, adoratorem mixtum &c.* & infrā: *Spiritum simul & carnem, Spiritum videlicet ob GRATIAM.* Præ aliis ad propositum dixisse existimo S. Cyrillum lib. 1. de Adoratione in Spiritu; postquam enim creationem Adami juxta S. Script. explicavit, dixitque eum opificis similitudine præditum fuisse, addit rationem: *impressa enim in illo est Divine imago naturæ inspirato Spiritu Sancto;* Sed *imago naturæ Divinæ in linea supernaturali est gratia sanctificans;* quia est participatio illius in doctrina S. Thomæ physica, & ad mentem Scoti saltem moralis, quæ in primo instanti fuit impressa; dum enim inspiratur Spiritus Sanctus, confertur gratia, & charitas secundum Trident. Seff. 6. de Justificatione Can. II. loquens de gratia, & charitate, quæ in cordibus - - per Spiritum Sanctum diffunditur.

Confirmari potest conclusio ratione congrua ex Divina Providentia desumpta: I. Homo ab initio suæ creationis ordinatus est ad finem supernaturalem: ergo conveniens fuit, eum creari in gratia. Ant. est certum. Conseq. prob. conveniens erat, ut homo statim posset producere fructum in ordine ad illum finem supernaturalem: sed sine gratia nullum potuisset fructum conducenter ad illum finem producere: quia gratia est principium meriti: ergo ut posset producere, oportuit eum creari in gratia. Prob. Maj. DEUS alias creaturem produxit in statu perfecto, ut statim potuerint fructum suo fini consentaneū proferre: ergo multò magis credendū est, DEUM creasse hominem ita perfectum, ut potuerit fructū suo fini consentaneū producere. Secundò si Adam perseverasset in statu innocentia, filii ejus nati fuissent in gratia: ergo multò magis dicendum est, Adamum eorum parentem

creatum fuisse in gratia. Consequent, videtur quasi moraliter certa. Ant. docet S.Thom. infrà quæst. 100. art. 1. per totum. Sed interea confirmatur à contrario: nunc in statu naturæ lapsæ infantes ab instanti conceptionis sunt in peccato; quia carent gratiâ, quam deberent habere: ergò à contrario si radix non fuisset infecta per peccatum, statim gratiam reciperent. Tertiò certum est ex fide iuxta superiùs dicta, primum hominem habuisse gratiam, antequam peccaret, nec potest certum post primum instans cum fundamento assignari, in quo gratiam accepisse: ergò probabilius est, eam statim ab initio infusam accepisse; quia jam ibi erat *rectus*, & dein, advertit Suarez hic *num. 15.* ad finem, nec in primo instanti est pecuniaris ratio repugnantia, aut difficultatis, præsertim attenta paritate de Angelis in primo instanti gratiâ donatis, & si hoc neges, opponimus tibi SS. Augustinum, & Thomam clarissimè id afferentes.

54 Dicendum est II. Adamum etiam fuisse prædictum virtutibûs Fide, Spe, & Charitate, aliisque donis supernaturalibûs. Est communis SS.PP. apud Bellarminum, qui eos magnô numerô, & cum eo Suarez adducit. De Charitate non est dubium, quia illa *connaturaliter* sequitur gratiam apud Thomistas, & apud alios non distinguitur à gratia. De Fide Prob. I. Adam in Paradiso non vidit DEUM per *essentiam*; quia illa visio excludit peccatum, cùm tamen de fide certum sit, Adamum in Paradiso peccasse: ergò DEUM per fidem debuit cognoscere. Ant. suppono certum ex S.Thoma. Conseq. prob. ex Apostolo: *Accidentem ad DEUM oportet credere.* Cognovit ergò DEUM per fidem non tantum ex ratione naturali, sed etiam ut objectum supernaturale beatitudinis, & illius visionis per *essentiam*, aliquando aquirendæ *in Patria*. Ex quo Prob. II. de Spe. Adam fuit constitutus in via ad bea-

beatitudinem supernaturalem: ergo habuit Spem. Ant. suppono, conseq. prob. omnis, qui non est constitutus in termino, nimirum Spe, rem illam, quam nondū habet, consequendi: cùm ergo Adam nequidem erat constitutus in termino, ad quem ordinatus erat, Spem habere debuit, illum consequendi per media illi statui convenientia.

Confirmatur: Ideo in statu naturæ lapsæ juxta Trid. *Seff. 6. de Justif.* requiritur Spes, quia nimirum aquirere beatitudinem, quam non habemus: ergo etiam in Adamo fuit Spes, qui conari & ipse debuit, aquirere, quod non habuit. Nec quoad hoc est disparitas in Statu Innocentiaz, & moderno, nisi forte dicas, in illo tantam non fuisse arduitatem, quantam in moderno experimur propter defectum aliorum donorum, quæ incluserat Status Innocentiaz; nam hoc non imitat essentialiter naturam Spei Theologicæ; sicut nec perfectio Scientiarum naturalium in Adamo infert distinctionem specificam inter illam, & nostram, nisi quod illæ per accidens fuerint infusa, & nostræ ordinariè proprio labore aquisitæ. Spes quidem Adami non ad ea omnia, ad quæ nostra, se extendit; nos enim post peccatum admissum speramus auxilia ad poenitentiam per orationem impetrandam, remissionem peccatorū &c. juxta centies repetita promissa, quibüs D. DEUS provocavit peccatores ad poenitentiam, quæ cùm ex Scriptura passim notissima sint, nolo attexere, sufficiat loco omnium illud: *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur, & vivat.* Spes autem Adami pro objecto non habuit remissionem peccatorum: quia nequidem peccaverat; habuit autem gratiam benè operandi, & perseverandi, quia habuit, & habere debuit propositum obediendi DÉO quoad præceptum de non comedendo fructu vetito, & quoad alia vel sibi proposita, vel imponenda, & cùm, ut ait Suarez cum aliis hic cap. 18. num. 3. ea obser-

servare non potuisset sine auxiliq; præsertim quia tunc præscius non erat sui casis, debuit habuisse propositum vitandi peccatum, ad quod necessariò requirebatur auxilium, & quantum ex cit. Authore colligo, speciale, quamvis alii cum Bellarm. de Gratia primi hom. cap. 19. tanquam non necessarium excludant, eò quòd tale præter gratiam sanctificantem solùm requiratur in moderno statu; ratio est, quòd illud donum concessum Adamo non solùm subjicerit mentem DEO, sed etiam carnem spiritui, & proinde non impediebatur, nec retardabatur Adam à bono opere, neque incitabatur per carnalem concupiscentiam, ut diximus num. 14. quòd ibi non senserit in membris suis legem contradicentem legi mentis. Ad quid ergò in illo requiritur auxilium speciale, cùm donum ipsum tam excellens sufficerit? Sed viderint alii de hoc, quod nos solùm retulimus. S. Thom. quest. 95. b1c art. 3. postquam dixit in Corp. ex S. August. Adam pudicitia formatum, temperantia compositum, claritate splendidum, addit, quòd virtutes, quæ de sui ratione nullam imperfectionem important, ut claritas, & justitia, fuerint in Statu Innocentiae simpliciter, & quantum ad habitum, & quantum ad actum, cuius exemplum assignat in Fide, & Spe, asseritque ex ratione prædicta: Unde Fides, & Spes esse poterant in primo statu & quantum ad habitum, & quantum ad actum. Quòd statim negat posteà de virtute Pœnitentie, & Misericordie, quas solùm in esse habitus, non actus admittit, quia non habebant objectum, circa quod actus fieri potuisset, cùm non existiterit adhuc peccatum, quod detectari Adam, nec miseria alterius, quam sublevare potuisset. Unde, infert S. Thomas: hujusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum, non secundum actum. Id verò probat de verecundia ex Philosopho Ethic. 4. quòd scilicet illa sit de turpi facto sub conditione, est enim habens

bens eam virtutem sic dispositus, quod verecundaretur, si turpe aliquid committeret. Sic accipiendæ etiam sunt Poenitentia & Misericordia, vi quarum aliquis est ita dispositus, ut poenitentiam ageret, si peccaret, misero succurreret, si quem haberet: in quo sensu communiter admittunt Theologi virtutem Poenitentiaz etiam in B. Virgine.

Quod fidem concernit, dubium est, ad quæ Mysteria se tunc in primo homine extenderit? Sunt autem prima circa Divinitatem, & Incarnationem Verbi Divini. Quoad primum certum est ex dictis, Adam cognovisse DEUM ut *Unum* per fidem, modò, quod diximus. Probabilissimum etiam est, eum cognovisse DEUM ut *Trinum* sibi revelatum, ut ait clarissime S. Epiphanius *contra Hæres. in Prefat. operis*, ubi postquam formationem Adami expressit, addit: *non autem erat idololatra, & novit Patrem DEUM, & Filium, & Spiritum Sanctum; Propheta enim erat: & statim infrà: quia novit, quod Pater dixit Filio: faciamus bonum ad imaginem & similitudinem nostram.* Hæc planè explicari aliter non possunt, nisi quod Adam ista post formationem per revelationem didicerit à DEO, consequenter crediderit. Et profectò, quamvis Epiphanius præscindat, an Adam antè, vel post peccatum DEUM ut *Trinum* cognoverit; & vel idem de tempore totius vitæ loqui censendus sit, ut putat hic Suarez, ego tamen hoc non moror; nam si habuit Adam illam fidem post peccatum, multò magis eandem habuit ante; nam cognitio Trinitatis, cum sit perfectio illius status in linea supernaturali, eundem omnino decuit, quia per se est ad beatitudinem conducens, cum Trinitas pertineat essentialementer ad objectum illius, ut modò *ex tract. de DEO*, ubi de visione Beatorum agitur, suppono.

Quod spectat Mysterium *Incarnationis*, an illius notitiam per revelationem acceperit? sicut apud Scotistas

est facile asserere, ita in via Thomistica oppidò difficile; cùm enim illi cum suo Doctore Subtili defendant, Christum Dominum ante Adamum decretum, & ideo venturum fuisse, etsi Adam non peccasset, admittere possunt in Adamo fidem de Christo venturo saltem in carne impossibili. At verò Thomistæ tenent conformiter S. Th. priùs decretum esse Adamum cum permissione peccati, & posteà Christum in remedium illius peccati, & in redemptionem humani generis per illud peccatum collapsi, & sub hac ratione revelationem non possunt admittere si ne inconsequentia doctrinæ; nam de *Incarnatione* docent, Christum non venturum fuisse, si Adam non peccasset: si ergò facta fuisset revelatio Adamo de Christo taliter venturo, tunc præscivisset peccatum suum saltem indeterminatè, quod est absurdum, & contra SS. PP. asserentes, Adam non scivisse, se peccaturum.

Nihilominus est communior sententia, Adamum cognovisse Incarnationem Verbi Divini, ut docet Suarez hic num. 8. Vasquez, aliisque plurimi à Suarezio citati. De S. Th. non potest esse dubium; nam 2.2. quest. 2. art. 7. in *Corp. expressè* id docet: *Ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundum quod ordinabatur ad consummationem glorie, non autem, secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem, & resurrectionem: quia homo non fuit praescius peccati futuri.* Rationem S. Thomas desumit ex illo Gen. 2. à y. 23. dicens: *Videtur autem Incarnationis Christi praescius fuisse per hoc, quod dixit: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori sua.* Et hoc Apost. ad Ephes. 5. *Dixit SACRAMENTUM MAGNUM esse in Christo & Ecclesia, quod quidem Sacramentum non est credibile, primum hominem ignorasse.* Post peccatum autem fuit explicitè creditum Mysterium Incarnationis Christi, non solum quantum ad Incarnationem, sed etiam quanti-

tum ad passionem, & resurrectionem, quibus humanum genus a peccato & morte liberatur; aliter enim non præfigurassent Christi passionem quibusdam Sacrificiis & ante, & sub lege. Quem textum, licet ampliorem adduximus, ut appareret ex ipso fonte, quod alii ex S. Thoma quasi per rivulos deducunt, & sua explicatione non raro turbidos efficiunt. Ceterum ex S. D. recte colligitur, prævisionem Incarnationis in sensu ejusdem non obesse Doctrinæ Thomisticæ in ordine ad consequentiam; nam salvatur adhuc, Adamum decretum fuisse ante Christum, quia Christus ordinatus est principaliter in remedium peccati ab Adamo committendi, non in illud ab Angelis commissum, quos DEUS decreverat, in massa damnationis relinquere, ut ex SS. PP. est notissimum, quod nec habuerint spatium poenitentiæ, &c, si habuissent, nunquam egissent poenitentiam in malo semel obfirmati, ut in *Præfatione* ex S. Thoma retulimus. Quid ergo contra nos pugnet, non video, si Adamo jam existenti facta sit revelatio *Incarnationis secundum se* præcisè; hoc non obstante, quod ante Christum decretus sit Adam, ignarus illius Secreti, post lapsum primum revelati. Præter gratiam & virtutes etiam aliis donis supernaturalib[us] ornatum fuisse Adamum, certum est ex SS. PP. & Doctoribus, præsertim Angelico, quos Bellarminus, Pererius, Suarez copiosè allegant, de quibus aliquid in art. 2. dicemus, interim sufficiat S. Cyrillus lib. I. in Joan. cap. 9. ubi inquit de Adam: *Participatione luminis splendet, super naturam suam glorificantis DEI gratia, & variis donorum ornamentis ascendens.* Et infrà: *Misericors enim versus Dominus est, qui creaturam parvam, atque abjectam secundum naturam, magnam, atque mirabilem sua effecit bonitate.*

Illa autem ornamenta, quamvis princeps fuerit. *Gratia sanctificans*, non tamen in ea fola consistebant, sed in aliis habitibus, & beneficiis DEI: imò juxta Scotum

tum suprà allegatum illa primi hominis rectitudo, et si fuerit donum quoddam supernaturale (& hoc solum transmittit) non tamen *gratia*, sed aliud donum fuit, in quo in ordine ad gratiam propter S. Thomam, & alios differimus à Scoto, quamvis conveniamus in hoc, quod rectitudo illa non in sola *gratia* constiterit. De quibus in Parte 2. plura dicemus, quando agemus de privatione illius rectitudinis.

57 Quæres adhuc, an Adamus in primo creationis instanti acceperit gratiam mediante proprio voluntatis actu? in hoc Thomistis sunt omnes contrarii, qui id ipsum negant Angelis, quod tamen SS. August. & Thomas concedunt. Etiam Sotus ex Schola S. Th. id ipsum cum aliis negat. Ratio ipsius est ex S. Aug. quod scilicet juxta ipsum DEUS fuerit simul *condens naturam*, & *largiens gratiam*, ut nos ipsi diximus: ergo DEUS concreavit gratiam non mediante actu liberi arbitrii. Sed omnes TT. negant absolute consequentiam; nam quamvis DEUS sit principalis causa gratiæ, ex hoc tamen non sequitur, quod illam vel Angelis, vel Adamo contulerit sine motu liberi arbitrii, gratiæ consentientis. Sed dices ex eodem ab impossibili, quod nempe homo naturaliter loquendo in primo suæ creationis instanti non possit attendere, ut liberè statim se convertat ad ultimum finem absque miraculo, quod sine sufficienti ratione adstruendum non est.

Resp. cooperationem ad gratiam non fuisse speciale miraculum à collatione gratiæ, & quidem ad voluntatem DEI, nolentis conferre gratiam subjecto intellectuali absque ipsius consensu, & aliquali saltem cooperatione, ut expressè docet S. Th. hic in cit. quest. 95. art. 1. ad 5. ut verò mens S. D. pateat, legenda est objectio, quam sibi ex aliis Auctoribus facit, quæ est hæc: *ad hoc, quod aliquis accipiat gratiam, requiritur (ordinariè) consensus ex parte recipien-*

cipientis, . . . sed consensus in gratiam esse non potest, nisi prius existentis: ergo homo non accepit gratiam in primo instanti, scilicet mediante actu liberi arbitrii; quod enim aliquis absolute loquendo possit accipere gratiam sine motu liberi arbitrii, suppono pro certo; quis enim in hoc restringet potentiam largientis illam? licet ordinariè pro moderno statu requiratur ad justificationem dispositio prævia ex Conciliis, præsertim Trident. Sess. 6. de Justificatione. cap. 5. de necessitat. preparat. ad Justif. in adultis, ubi circa medium ait: ut qui per peccata aversi erant, per ejus excitantem, atque adjurantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiae liberè assentiendo, & cooperando disponantur &c. Dixi, hoc ordinariè contingere, & in Angelis, & in primo homine quoad primum instans creationis saltem aliqualiter, si non adeò perfectè, contigisse dicunt SS. Augustinus, & Thomas, quos TT. omnes, & apud Suarez RR. plurimi sequuntur, inter quos ipse Princeps est. Jam audiamus responsionem, quam S. Thomas adductæ objectioni adhibet, quæ ita sonat: *ad quintum dicendum est, quod, cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet, etiam in primo instanti sue creationis primum hominem gratiae consensisse.* S. D. se fundat in motu instantaneo, qui in unico instanti fit, cum motus continuus, quia successivus est, essentialiter plura instantia requirat.

De cætero, cum plura non admittant foliorum angustiarum quoad merita primi hominis, suppono ex S. Th. hic cit. quæst. art. 4. in Corp. *Quod efficaciora fuissent hominis opera ad merendum in statu innocentie, quam post peccatum. Rationem dat S. D. quia, cum homo esset majoris virtutis, maiora opera fecisset.* Quæ omnia clarissimè deducit Sapientissimus Suarez cap. 19. à num. 12. quod Lectorem remitto.

ARTICULUS II.

*De aliis prærogativis, que primus homo habuit, vel
babere potuisset in Statu Innocentie, si perseverasset.*

Cùm hæc una conclusione exsplicari non possint, per quæstiones succinctas expediemus, ubi tamen subinde promiscuè loquemur quoad dona naturalia & supernaturalia, quia ipse S. Th. ita procedit.

58 Quæritur ergo I. An homo in Statu Innocentie fuisset immortalis, & in quo sensu? pro quo notandum ex S. Th. hic quest. 97. art. 1. quod aliquid possit esse incorruptibile tripliciter I. quidem ex parte materiæ, quatenus eam excludit, ut Angelus, qui cùm sit purus spiritus, nihil materiæ admixtum habet. Sunt etiam alia ex eo incorruptibilia, quia, sicut habeant materiam, illa non est in potentia nisi ad unam formam, per quam complentur, consequenter, ut cum Physicis loquar, non appetunt aliam, ut corpora coelestia, & illa à Philosopho dicuntur per naturam incorruptibilia. II. Dicitur aliquid incorruptibile ex parte formæ, quia scilicet alicui composito ex se, & natura corruptibili adhæret, vel inest aliqua dispositio, quæ corpus ab omni corruptione præservat, & tale dicitur incorruptibile per Gloriam, talia sunt corpora Beatorum teste S. Augustino Epist. 56. ad Diocorum, in tom. 2. circa medium ita differens: tam potenti natura DEI fecit animam, ut ex ejus beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor. III. denique aliquid est incorruptibile ex parte causæ efficientis, in quantum illa effectui suo incorruptionem tribuit, & in hoc sensu

Respondeo I. ad mentem S. Th. hominem in Statu Innocentie fuisse immortalem, & incorruptibilem non quidem ex natura sua, sed per beneficium DEI speciale.

Ita

Ita cum SS. Augustino, & Thoma communior Thomist. illi duo sunt clarissimi: primus lib. i. *QQ. novi*, & veteris *Testam. quest. 19. in principi*. ait: *DEUS bominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem.* Alter autem cit. loc. dicit explicando S. August. quod non corpus Adami fuerit indissolubile per immortalitatis vigorem in eo existentem, sed per vim, aut virtutem, animæ supernaturaliter divinitus datam, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare. Dein concludit ad finem Corp. Conveniens fuit, ut in principio ei virtus daretur, per quam corpus conservare posset supra naturam corporis materialis. Hæc quidem est expressa S. Thomæ sent. in i. p. cit. quest. quamvis alibi dicat, quod Adam potuisset conservare corpus suum illæsum ab extrinseco agente, nam art. 4. cit. quest. dicit: partim per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, partim per Divinam Providentiam, que sic ipsum tuebatur, ut nihil occurreret ex improviso, à quo laderetur. Hæc quidem dicuntur, sed probari non possunt, nisi quoad primam partem; certum est enim, quod Adam habuerit notitiam omnium naturalium, ut diximus num. 44. versus finem, & sic etiam fructuum, herbarum, radicum, ut adeo potuerit vitare nociva, & conservationi corporis contraria: alterum de Providentia Divina in tantum admittimus, in quantum Dominus DEUS connaturaliter voluit, ut homo, quem fecit Dominum inferiorum animalium, & vel ideo herbarum, non possit ab illis lædi. Et sic non habuit ab extrinseco hostem, repugnantem conservationi corporis. Insuper, ut memini ab initio, corpora primorum parentum fuerunt perfecta in attemperatione qualitatum primarum, ut nulla esset pugna, sicut in nobis, ubi calor depascens infestat humidum, consequenter erant etiam quasi incorruptibiles ab intrinseco, ut statim dicemus, non

non per auxilium aliquod, seu qualitatem animæ impressam, & quidem supernaturalem. Dein potuisset DEUS alio, nescio tamen quo modo, conservare hominem in Statu Innocentiae, si non peccasset. Si negas, objicio tibi S. August. lib. I. de Peccat. merit. Et remiss. cap. 30. Si DEUS Israëlitarum vestimentis & calceamentis praestitit, quod per tot annos non sunt obtrita; quid mirum, si obedienti homini ejusdem potentia præstaretur, ut animale ac mortale babens corpus, haberet in eo quemdam statum, quo sine defectu esset annosum? Et c. ex quibus apparet, quam varie loquantur in hac materia viri Sapientissimi, & Virtute, ac illuminatione Sanctissimi. Ego quidem non ignoro, S. Thomam sèpè, & ferme plerumque in similibus ad novas qualitates declinare; sed tamen, cum existimem hanc opinionem non esse inter principales, quæ Thomistam probent.

Respondeo II. Immortalitatem primi hominis posse salvari absque dono aliquo supernaturali, animæ impresso.

Prob. I. ex S. August. quem quidem pro nobis citavi, ut venerarer S. Thomam; potuit DEUS sine aliqua virtute, vel qualitate conservare vestes Israëlitarum: ergo potuit etiam conservare primum hominem absque ultra qualitate supernaturali, quæ ad conservationem corporalem omnino necessaria non est, cum id totum præstare possit donum supernaturale integritatis. Hinc docet Molina tract. de Oper. sex dierum. disp. 28. corpus hominis fuisse immortale & impassibile per donum habituale, quod erat qualitas per totum corpus diffusa; quia, ut putat, illa immortalitas non erat miraculosa.

Confirmatur: S. Augustinus loc. cit. prius in textu 2. tantum dicit, quod homo, quando non peccaret, immortalitate vigeret: nihil autem dixit de qualitate aliqua supernaturali animæ impressa, vi cuius illa conservaret corpus indissolubile: ergo quoad illam qualitatem nihil deduci potest ex S. Augustino.

Prob.

Prob. II. Corpus primi hominis fuit productum cum omni perfectione & attemperatione qualitatum primarum, ut adeò ante peccatum non potuerit esse pugna inter calidum & humidum &c. ex quibus successivè, & ordinariè sequitur corruptio, quæ est doctrina perpetua S. Thomæ, non tantum in Philosophicis, sed etiam in Theologicis: ergò cùm in illo statu omnia fuerint ordinata, non potuit contingere aliqua mutatio: ergò quasi connaturaliter fuit Adam *immortalis*, supposito tamen dono immortalitatis generali, nullo adverso principio corpus infestante.

Dices fortè, cur nos ipsi suprà dixerimus *num. 23.* perfectionem illam per speciale donum, naturæ secundum se nullo modo debitum, à DEO gratis concessum fuisse primis hominibus? Respondeo, hoc non officere; quia illa attemperatio humorum, & harmonia qualitatum fuit donum, sicut ipsa productio in tali statu, quæ naturæ comparativè non debetur: nec tamen diximus, esse qualitatem aliquam *supernaturalem* animæ impressam, quæ corpus conservaret. Dein ipse S. Th. *num. 24.* à nobis relatus ex *quest. 91. art. 3.* ibi dicit, quod DEUS unicuique rei naturali dederit optimam dispositionem secundum ordinem ad proprium finem, nec pro illa dispositione requirit qualitatem *supernaturalem specialem*. P. Suarez hic *num. 19.* qui in hac materia pressè insistit verbis, & menti S. Thomæ, ut ipse ait, existimat, eum non loqui de tali qualitate impressa animæ, quia ait, hominem incorruptibilem fuisse ex parte causæ efficientis, quod non potest intelligi de efficientia *Physica* animæ in proprium corpus, velut causæ agentis: ergò, existimat ille, intelligenda est illa *efficientia intrinseca* de intellectu, & voluntate ad præservandum corpus à corruptione *moraliter*, obediendo DEO, & prudenter vitando, ac removendo corrum-

rumpentia. Sed profectò difficile est, & magis super captum hæc intellectus, & voluntatis in corpus efficientia, quam illius qualitatis à S. Th. assertæ, imò videtur Suarez committere contradictionem in adjecto, dum ait, S. Thomam loqui de *virtute efficiente* intellectus, & voluntatis ad præservandum corpus à corruptione moraliter : ergò nec fuit efficientia Physica ex parte illarum potentiarum, sed tantùm aliqua *directio moralis*, ad obediendum DEO, ad vitanda ea, quæ possent inferre corruptionem : ergò reverà inefficaciter Suarez impugnat S. Thomam, ipse majori infirmitati obnoxius. Nec verum est, quod S. Thomas quest. 97. ita exponat, ut explicat Suarez ; nam ibi art. 2. ad 4. tantum loquitur de præservatione corporis contra extrinseca, à quibus lædi, aut corrupti potuisset, ut ex ipsius verbis, quæ studiosè admetior, clarissimè patet ; sic enim ait : *ad quartum dicendum, quod corpus hominis in statu innocentie poterat præservari, ne pateretur lesionem ab aliquo duro, partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare, partim etiam per Divinam Providentiam, quæ sic ipsum tuebatur, ut nihil ei occurreret ex improviso, à quo laderetur.* Nihil dicit S. D. de *efficientia Physica* intellectus & voluntatis : ergò non satis feliciter Suarez pro se alle-gavit S. Thomam, nolentem patrocinari.

61 Quæritur II. An primi parentes indigerint alimen-tis in illo statu ?

Ratio dubitandi ex dictis desumitur ; si enim Adam fuit conditus immortalis, non videtur indiguisse alimen-tis, quæ ad conservationem vitæ principaliter ordinata-sunt ; hæc autem aliunde per donum *immortalitatis* habe-retur. Et tamen ex Scriptura certum est, DEUM con-cessisse Adamo esum omnium fructuum : *ex omni ligno Pa-radisi comedere.* Genes. 2. v. 16. & Genes. 3. v. 2. Eva respon-dit serpenti : *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradiſo, ivesci-mur :*

mur: ergo Adam non fuit immortalis, quia indiguit cibis ad conservationem vitæ.

Respondeo, Adamum non habuisse absolutam, & indissolubilem immortalitatem, & ideo debuisse se tueri à senio, & à morte tum cæterorum ciborum usu, tum maximè fructus ligni vitæ, ut dicit S. Augustinus quæst. 10. de vet. & nov. Testam. *Gustus arboris vitæ corruptionem corporis inbibebat.* Denique post peccatum potuit insolubilis manere, si permisum esset illi edere de arbore vitæ, quod, cum alii in dubium vocent, simpliciter ex S. Aug. dictum agnoscimus. Clarius loquitur in lib. 14. de Civit. Dei. cap. 26. circa princ. *Cibus aderat homini, ne esuriret, potus, ne fitiret, & lignum vitæ, ne senectus eum dissolveret.* Et alibi saepius hoc repetit, quem in omnibus sequitur S. Thomas cit. quæst. 97. ratio autem S. Thomæ specialis est in eo, quod primus homo habuerit vitam animalem, & hoc ipso cibis indigentem, ad discrimen quidem corporum, quæ post resurrectionem non tantum erunt immortalia, sed habebunt vitam spiritualem, quæ cibis non indiget. Quod discrimen colligitur ex Epistola 1. ad Corinth. cap. 15. v. 45. ubi Apostolus ait: *Factus est primus homo Adam in animam viventem* (scilicet animalem, ut omnes alii intelligunt) *novissimus Adam* (seu Christus) *in spiritum vivificantem.* In quo loco Paulus ait de resurrectione, & ostendit, qualis futura sit corporum post resurrectionem conditio.

Dices: quid si Adam abstinuisset à cibis, præsertim à ligno vitæ, an perdidisset immortalitatem?

Respondet P. Hyacinthus de Graveson in *Histor. Eccl. colloq. 1.* Adamum immortalitatem amissum fuisse, quia abstinendo ab alimentis peccasset, transgrediviendo videlicet præceptum divinitus datum Gen. 2. *de omni ligno, quod est in Paradiso, comedere.* Sed quidquid sit de hoc, cui non insistimus, certum est, Adam peccatum fuisse, si non

studuisset conservare vitam per usum ciborum, præsertim de ligno vitæ, quia sicut non erat Dominus vitæ suæ, ita nec eam negligere sine peccato potuisset.

63 Quæritur III. An opus fuerit ad conservationem vitæ saepius uti fructu de ligno vitæ? S. Rupertus Tuitiensis lib. 3. in Gen. ad litt. cap. 30. existimat, haud necessarium fuisse saepius uti cibo illo ad conservandam vitam, sed semel tantum sumptum suffecisse, quod deducit ex verbis illis Genes. 3. v. 22. *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vite, & comedat, & vivat in æternum.* Singulariter autem ponderat particulam illam fortè, ex qua colligit, Adam nescivisse virtutem *ligni vite*, & ideo non potuisse post lapsum ex scientia, & intentione comedere de illo ligno vitæ pro morte evitanda, sed tantum potuisse casu incidere in arborem illam, & fructus decerpere.

Respondeo, non suffectorum fuisse unicum cibi illius usum; cum enim virtus illa *ligni vite* fuerit finita, non potuit tribuere perpetuitatem, ut clarè docet S. Th. cit. quest. 97. art. 4. in Corp. ad finem, ubi ait: *manifestum est, quod, quanto aliqua virtus est major, tanto imprimis durabiliorum effectum.* Dein infert: *unde, cum virtus ligni vite esset finita, semel sumptum præservabat à corruptione usque ad determinatum tempus, quo finito, vel homo translatus fuisset ad spiritualem vitam* (scilicet coelestem, ut communiter docent Theologi primarii, Augustinus, Thomas, & Sotus 2. sent. dist. 19.) *vel indiguisset iterum sumere de ligno vite.* Atque ideo Suarez lib. 3. de statu Innocent. cap. 15. num. 7. hanc sententiam Ruperti non judicat verisimilem ex ratione S. Th. allegata; quia scilicet unicus usus non reddidisset corpus inalterabile & impassibile, si non amplius remedium illius fructus fuisset applicatum, quia corpus diuturnitate temporis defecisset. Quod amplius declarat Suarez, ponendo, *Adam creatum esse in optimo statu vite, & comple-*

xionis per annum vel longius temporis spatium vixisse, cibum sumendo ex aliis Paradisi lignis, & posteâ semel comedisse de ligno vitæ, tunc certè ex sumptione fructûs illius non fuisset reductus ad alium statum, quâm in quo creatus fuit; nec enim poterat esse melior, vel si melior futurus fuisset fingitur, juxta ipsum non esset ipsi naturalis, nec corpori humano accommodatus. Ita fermè ille.

Nec urgent verba Ruperti; nam verbum, *ne forte sumat*, indefinitè positum vel unicam, vel frequentiorem sumptionem indicat, quia abstractè ponitur. Nec etiam credibile est, Adamum ignorâsse vel *lignum vitæ*, aut virtutem ejus, cùm rerum omnium habuerit scientiam, consequenter etiam, & eò magis eorum, quæ in Paradiso erant, & aliàs videtur ea cognitio conveniens illi statui, quem Adam sortitus est undique perfectum: insuper per *ly sumat etiam de ligno vitæ*, sequitur, Adamum illud cognovisse, sicut cognovit *lignum scientia boni & mali*, cùm fiat relatio de uno ad alterum, consequenter sicut hoc cognovit, ita & illud. Cæterùm conjecturæ, quas addit Rupertus ad suadendum, illam arborem habuisse virtutem naturalem ad illum effectum, pro aliquo tempore durabilem, non verò perpetuum, non rejiciunt alii Theologi; quia non videtur impossibile, quin DEUS possit talem virtutem communicare fructui *ligni vitæ*.

Quæritur IV. An, & quales homines fuissent nati in ⁶⁴ statu Innocentiarum? Generationem naturalem in statu illo, si durâsset, futuram fuisse, apertè docet S. Thomas hic *quaest. 98. art. 1. & 2.* & post ipsum, & Magistrum, in *2. sent. dist. 20. communior Scholasticorum*. Videtur autem S. Th. insistere S. Augustino *lib. 14. de Civit. Dei*, quem ad quartum allegat: „In illo statu nulla corruptione ina- „tegritatis infunderetur gremio maritus uxoris; ita enim

„potuit utero conjugis, salva integritate foeminei genitum, talis, virile semen immitti, sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero Virginis fluxus menstrui crux emitti: ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed naturalis impulsus foeminea viscera relaxaret, sic ad concipiendum non libidinis appetitus, sed voluntarius usus naturam utramque conjungeret. S. Th. ut dixi, huic rationi innixus generationem futuram ex eo probat, quod DEUS masculum, & foeminam produixerit, quod cum frustra non fecerit, etiam si homo non peccasset, fuisset generatio, ad quam distinctio sexuum ordinatur. Excludit autem S. D. deformitatem immoderatae concupiscentiae, ex eo, quod inferiores vires omnino ratione fuissent subiectae, & hoc confirmat iterum ex S. August. cit. loc. *Absit, ut suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo cetera, & fine ardore, & illecebroso stimulo cum tranquillitate animae, & corporis.* Si quereras, cur ergo Adam in illo statu non cognoverit uxorem suam, iterum ex S. August. respondet lib. 9. supra Gen. ad litt. quod ideo primi Parentes in Paradiso non coierint, quia formata muliere post modicum propter peccatum de Paradiso ejecti sunt: vel, quia exspectabatur Divina authoritas ad determinatum tempus commixtionis, à qua authoritate universale mandatum accepere. De cetero juxta S. Augustinum, & ipsum in coitu fuisset major delectatio in sensu, cuius rationem assignat: *Fuisset tanto major delectatio sensibilis, quanto esset parior natura, & per rationem regulata.* Quod viterius à simili confirmat; nam sobrius in cibo moderatus sumpto non minorem habet delectationem, quam gulosus, sed minus ejus appetitus concupiscibilis in tali delectatione quiescit. Quamvis alii cum S. Bonaventura exi-

existiment, delectationem futuram fuisse minorem, eo quod per rationis imperium fuisse diminuta.

Non quidem defuerunt, qui generationem in statu⁵⁵ Innocentiae futuram negarunt, inter quos Gregorius Nissenus *lib. de opificio hominis. cap. 17.* S. Chrysostomus *hom. 18. in Gen. cap. 4.* S. Damascenus *lib. 2. in Gen. cap. 30.* & denique S. Hieronymus *Epist. 22, ad Eustochium de Cust. Virginit.* ubi saepè indicat, usum conjugii per peccatum fuisse introductum. Ratio Gregorii Nisseni est: *in statu post resurrectionem non erunt nuptiae, sed homines erunt sicuti Angeli DEI:* ergò nec in statu Innocentiae fuisse, immo per resurrectionem recuperabunt statum, quem in Paradiso habituri erant, & peccando amiserunt: ergò etiam in Paradiso non erat futurus nuptiarum usus. Fermè eadem est sententia Chrysostomi: *Post Paradisi amissionem tunc primum uetus rei venere incepit; ante inobedientiam enim Angelicam vitam imitabantur.* Ex quibus apparet, utramque sententiam, & suis authoritatibus & rationibus suffultam valde probabilem esse. Si dicas, quod DEUS in Paradiso *Genes. I. v. 28.* hominibus benedixerit, dicens: *Crescite, & multiplicamini,* consequenter ibi futuram generationem, respondent hi posteriores, DEUM in illa benedictione tantum respexisse ad illum statum, quem homines per peccatum consecuturos esse prævidit, priores vero illa verba universaliter intelligunt tam quoad primum, quam quoad statum secundum. Supposita generatione in illo statu.

Respondeo I. cum S. Th. & S. Anselmo, homines⁶⁶ in illo statu fuisse nascituros cum justitia. Ait enim hic posterior in lib. de Concept. Virg. *Quod simul, cum rationalem haberent animam, justi essent, quos generaret homo, si non peccaret.* Ratio S. Thomæ *quest. 100. hic art. 1. in Corp. informa* sic proponi potest: *justitia illa Originalis, in qua con-*

conditus fuit homo, donum fuit totius naturæ : ergò etiam commune omnibus ibidem generandis. Probatur antec. & conseq. simul : Peccatum Originale, quod opponitur illi justitiæ, est peccatum naturæ, communéque omnibus : ergò etiam illa justitia fuit communis omnibus, quia donum naturæ fuit. Antec. est de fide ex Conciliis, præsertim Tridentino infrà in 2. part. allegando.

Respondeo II. Non tamen fuissent confirmati in gratia. Ratio patet ex eo, quod nec primi homines in gratia confirmati fuerint, alias non peccassent : ergò nec filii fuissent confirmati. Hoc totum colligitur ex S. August. cit. lib. de Civit. Dei. cap. 14. *Tunc felix*, ait, *universa esset humana societas, si nec illi, scilicet primi Parentes, malum in posteros trajicerent, nec quisquam ex stirpe eorum iniquitatem committeret, que damnationem reciperet.* Ex quibus arguit S. Th. quod etiamsi primi Parentes non peccassent, aliqui ex eorum stirpe iniquitatem potuissent committere: ergò non fuissent in justitia confirmati.

Respondeo III. Neque cum plena scientia fuisse nascituros; quia hoc tantum conveniebat Adamo, qui à DEO ordinatus erat, ut alios instrueret, & gubernaret: sed si nati fuissent in scientiæ perfectione, haud opus habuissent instructione, sicut nec Adam indiguit. Ideò S. Th. quest. 101. concludit : *Quod pueri in statu Innocentiae non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate aquisivissent inveniendo, vel addiscendo.*

ARTICULUS III.

De lapsu primi hominis.

67 **P**ostquam constitutus est in statu perfectissimo tam quoad corpus, quam animam, in utraque linea, & naturali & supernaturali, ut hactenùs diximus, tandem

dem eo excidit casu tristissimo; quomodo autem? hic discussendum suscepimus. Certum est ex S. Scriptura, quod primi parentes a serpente decepti sint, ut constat ex Gen. 3. à v. 1. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terra, quæ fecerat Dominus DEUS, qui dixit ad mulierem: cur precepit vobis DEUS, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Et respondit mulier, ideo DEUM prohibuisse edere de ligno scientiæ boni & mali, ne fortè moriamur: reposuit serpens: *nequaquam moriemini; scit enim DEUS, quod in quoconque die comederitis ex eo -- eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Mulier igitur, ut vidit, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis -- tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit. Hæc est illa fatalis comedio, quæ totum genus humanum pessimum dedit. Ex quo casu variae consurgunt quæstiones. & primò quidem

Qualis illa tentatio fuerit? ad quam breviter Respondeo, temptationem illam exteriùs, & per auditum corporis factam fuisse; ex qua proin sepuitur, serpentem illum corporeum & visibilem fuisse, atque sensibili voce Evæ locutum, quæ est aperta sententia S. August. lib. II. sup. Gen. ad. litt. dicentis: *Serpens dictus est prudenterissimus, vel callidissimus propter astutiam diaboli, qui in illo agebat dolum.* Sicut dicitur prudens, vel astuta lingua, quam prudens, vel astutus movent ad aliquid prudenter, vel astute fraudendum. Quem sequitur S. Thom. 2. 2. quest. 165. art. 2. ad 1. dicens, quod in actu temptationis diabolus erat sicut principale agens, sed mulier assumebatur quasi instrumentum temptationis ad decipiendum virum. Ex quibus utique satis apparet, serpentem illum fuisse verum animal sensibile, quod infedit diabolus, vel cui adstitit, atque ad ea proferenda, quæ dicta sunt, moverit. Similitudinem assignat S. Th. quod serpens fuerit locutus mulieri, sicut asina, in qua se.

sedebat Baalam, locuta est homini scilicet Prophetæ, Num. 22. v. 28. *Nisi quod illud opus diabolicum in serpente, hoc angelicum in asina fuerit*, & suprà cit. loc. dixit, quod serpens verborum sonos non intellexerit, qui ex illo fiebant ad mulierem; ex quibus deducit contra errorem aliquorum hæreticorum, quod serpens non fuerit conversus in animal rationale, ut foeminam deciperet, sicut illi fine ratione finxerunt. Ex istis etiam reicitur error Cajetani in 3. Gen. dicentis, nomine serpentis significari ipsum dæmonem secundùm se, & sine corpore, vel assumpto, vel in se, per suggestionem tantum internam Evæ fuisse locutum, ut modò tentat phantasiam hominis immutando, quod est tam apertè contra SS. Augustinum, & Thomam, ut nihil evidenter, hoc patet ex textu illius. Hic autem cit. loc. art. 2. ad 2. expresse dicit, dæmonem in illo statu non potuisse tentare Evam suggestione merè interna, quia non habuit tantam potestatem in hominem ante peccatum, quam adeptus est postea, dum homo peccando factus est eius mancipium. Dein, ut suprà meminimus, propter illam subordinationem partium inferiorum ad superiores non potuit tentatio accidere nisi ab extrinseco: immutatio autem phantasie, quam contigisse affirmat Cajetanus, esset ab intrinseco illius, operante dæmons tanquam principio extrinsecus adveniente, quod, sicut pugnat contra perfectionem illius Statūs, ita admitti non potest. Certè, si Cajetanus alias fidissimus S. Thomæ discipulus, legisset objectionem II. quam sibi ipsi proposuit, non tam longè à suo præceptore aberrasset; est autem objectio hæc: „Tentatio primorum hominum fuit per suggestionem; potest autem diabolus etiam suggerere homini absque aliqua exteriori sensibili creatura; cùm ergò primi parentes essent spirituali mente prædicti, minus sensibilibus, quam

, quām intelligibilibus inhārentes, convenientiūs fuisset,
,, quōd homo solum spirituali tentatione tentaretur. In
his paucis consistit communis vis argumentorum, quae
Cajetanus inutiliter dilatat; nam breviter S. Thomas
hanc opinionem dissolvit, postquām enim dixit diabo-
lum modō in statu naturæ lapsæ habere potestatem in-
teriūs tentandi per immutationem phantasie, addit:
*diabolus autem minimum potestatis habebat in hominem ante pec-
catum, & ideo non potuit eum interiori suggestione, sed solum
exteriori tentare.* Hæc in formalibus adduxi iterum ad
confusionem Cajetani, toties, et tam pertinaciter suo
Doctori contradicentis, & quidem sine gravi ratione.
Instantiam huius, saltem aliqualem habemus in Christo
Domino, qui tentari potuit à diabolo tentatione exteriori,
non tamen interiori, & priori modō tentatus est Mat-
thæi cap.4. *Ductus est JESUS in desertum à Spiritu (scilicet
sancto) ut tentaretur à diabolo.* In quæ verba S. Greg. M.
bomil. 16. in Evangel. ait: *Tentari ergo per suggestionem potuit, sed
eius mentem peccati delectatio non momordit.* Atque ideo omnis
*diabolica illa tentatio foris, non intus fuit: dixi instantiam esse
aliqualem in hoc, quod cum diabolus nullam omnino in-
Christum potestatem habuerit, ideo solum ipsum potue-
rit tentare extrinsecus.* Cùm insuper ab intrinseco fuerit
impeccabilis, non potuit ipsum mordere delectatio,
& in hoc quoad primum valet instantia, quod nec in
primos parentes habuerit potestatem interiūs tentandi,
sed solum exteriūs. Quoad alterum non est paritas,
quia per exteriora potuerunt moveri primi parentes ex
natura sua peccabiles, ut ipsos morderet delectatio, uti
reverà lethaliter momordit. Est ergo vera, & Catho-
lica sententia, dæmonem fuisse, qui sub specie visibilis
serpentis Evam tentavit, ut colligitur valde clarè ex Epist.
*2. ad Corinth. 11. Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astu-
tia*

tid sed, ita corrumpantur sensus vestri. Clarissimè autem ex S. August. lib. II. de Civit. Dei. cap. 27. ubi de dæmonc ait: *in serpente locutus est, utens eo velut organo, movensque eius naturam eo modo, quo ille movere, & moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos.* Ex quibus jacet sententia Cajetani. Si quæras, cur diabolus potius serpentem ad tentandam mulierem assumpserit, quām aliud animal? respondet tibi S. Augustinus II. Gen. ad litt. cap. 3. ubi dicit: *non debemus opinari, quod serpentem fibi, per quem tentaret, diabolus elegerit, sed cum esset in eo decipiendi cupiditas, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permisus est.* Ex quo clarè habemus, dæmonem non ex sua libera electione usum fuisse verò animali potius, quām eius tantum simulacrō. Unde quamvis suprà dixerimus, potuisse dæmonem assumere formam serpentis, id tamen tantum de possibili transmisimus. Si ulterius interrogas, cur non fuerit permisum diabolo, aliud animal eligere? respondemus, hujus non posse dari rationem, quia ad occulta, & justa DEI consilia pertinet. Ex quibus etiam consequitur, vanum esse inquirere, cuiusnam speciei fuerit ille serpens, cùm sit varium genus serpentium? quia cùm sciri non possit, scriptura tacente, nec ratio ulla congruentiae adsit, sufficit insistere litteræ, quæ de serpente equidem loquitur, nullam tamen speciem exprimit. Cur autem Eva non expaverit, dum serpens loqueretur, responderi juxta aliquos potest, in statu illo, ubi omnia animalia erant subiecta homini, Evam nihil timuisse, ut ait S. Damascenus lib 2. de fide Orthod. cap. 10. dicens: *Serpens plus ceteris animalibus familiaris erat homini, ipsum frequenter accedens, etque placidis motibus corporis blandiens: unde per ipsum princeps mali diabolus primis nostris parentibus impietatis sue venenum instillarvit.* Dein subdit aliorum opinionem: sunt, ait, qui putent, aspectum serpentis non nisi

nisi post peccatum primi hominis, & maledictionem ipsius serpentis capisse homini esse borrisicum, ac terrificum, post illa scilicet DEI verba: inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius &c. Pererius lib. 6. de lapsu hominis quest. 2. ait, S. Bonaventuram in 2. sent. dist. 21. & Carthusianum nominare Bedam Venerabilem, à quo proditum sit, elegisse diabolum ad tentandam Ewam genus quoddam serpentis, virginem vultum referentis, ut quia naturale est gaudere sui similibus, illius serpentis congresu non modo non perterraretur, sed etiam oblectaretur Eva, quin imò non desunt apud eundem Authorem, qui dicant, hunc serpentem erectum fuisse ut hominem, & primum per maledictionem DEI prostratum fuisse, ut humi reperet. Ex quibus convincitur, quam varia fuerit semper Doctorum opinio in re tam incerta, & nulli cognita. Nos retulimus, nec tamen quidquam statuimus.

Illud etiam movent Interpretes, quare Eva non ob-⁶⁸ stupuerit, dum serpentem secum loquentem audivit?

Sententia Ruperti est lib. 3. de Trinit. & oper. ejus cap. 3. ubi hanc ipsam quæstionem movet, & valde dubiè respondet I. vel, inquit, mulier nescivit serpentem è quæ ut cæteras animantes ratione & sermone carere. Sed mox se iterum corrigit ex absurdo, quod scilicet nunc in statu miseriæ non ignorent foeminæ, nullum animal irrationalē ratione, & sermone pollere, quomodo ergo prima mulier in Paradiso hoc nescivisse potuit? dein subdit: sed in eo fuit seductionis immensitas, quod quasi omnipotentiam ejus spiritus mirata est mulier, qui per irrationalē animal humana verba potuerit formare. Denique addit ex illa radice idolatriam pullulâse, in omnes gentes posteà diffusam. Sed profectò hæc opinio est contra omnes PP. & Theologos, quod illud primum peccatum fuerit idolatria, ut ex verbis Ruperti consequitur, cùm sit communis opinio, illud peccatum

catum fuisse vel inobedientiae, vel superbiæ. Nec DEUS Ævam increpando idololatriæ meminit, ut adeò satè appareat, hoc esse commentum, Scriptura nullum fundatum præbente. Sed Rupertus aliter loquitur lib. 3. in Gen. cap. 3. ubi supponit, scivisse mulierem, neminem præter hominem ratione & loquela præditum esse. Dein addit: si autem, quod verum est, scivit, serpentem non nisi alieno spiritu potuisse loqui, profecto in eo miræ seductionis immensitas est, quod quasi omnipotentiam spiritus ejus mirata est mulier, qui per irrationale animal humana formare verba potuisset. Sennit ergò, cognovisse Ævam, aliquem spiritum per serpentem secum loqui, & consequenter etiam cognovisse, quod spiritus ille sua verba possit percipere, & ideò nihil timuisse; quæ sententia videtur Suarezio valdè probabilis, quam etiam adscribit S. Thomæ 1. part. q. 94. ad 2. quamvis S. D. ibidem paulò aliter sentire videatur, ait enim ibi ad 2. quod mulier putavit serpentem hoc accepisse loquendi officium non per naturam, sed aliqua supernaturali operatione. Ubi ly supernaturali non adeò rigorosè intelligendum esse existimat Suarez, sed quatenus, si quid in aliquo fit ultra virtutem naturalem ejus, suòmodò dici possit supernaturale. Mihi præprimis placet opinio S. Bonaventuræ 2. sent. dist. 21. art 1. quest. 2. ad primum dicentis: mulierem non credidisse eum, qui loquebatur cum serpente (id est per serpentem) esse adversarium, sed potius bonum consiliarium: Et ideo inquit tam occulta erat illa tentatio, sicut si diabolus loqueretur ad cor interius.

69 Quæri potest II. Cur DEUS præceperit primis parentibus, ne comederent de fructu illius arboris, cum tamen præsciverit, eos comesturos, & hoc ipso peccaturos? similes quæstiones sicut sunt homini Theologo molestæ, ita vix respcionem merentur; nam & ego quæro, cur DEUS tot Angelos produxerit, cum tamen sci-

sciverit, magnam eorum partem defecturam, & damnandam fore: idem dici potest de creatione hominum, quos DEUS ex majori parte perituros cognovit, & tamen produxit: amabò, cur Christus Dominus Judam in collegium Apostolorum adlegit, cùm tamen sciverit, se prodendum ab eo peccato tam gravi, ut melius fuisse eum non nasci, ipso Christo profitente Marci 14. v. 21. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non natus esset ille homo!* dic, cur DEUS ipsum nasci permiserit, cùm antea utique sciverit omnia illa superventura. Ad similia optima est responsio suprà data, scilicet de illis reddi non posse rationem, quæ ad arcana DEI pertinent; cùm enim voluntas Divina sibi ipsi, & creaturis sit regula, quis inquiret sensum Domini? quis dicet, cur sic fecisti, cur hoc permisisti? vana est omnis ratio creata, & tantum deprimitur, quò minor, & ineptior est rebus supra se discutiendis. Certè huc appositiè servit illud Cardinalis Sfondrati in Nodo Prædestinatio-nis: *Quod DEUS facit, tu nescis modò; scies autem postea, redi post centum annos.* Sed tamen commodè ad quæstionem juxta mentem præsertim S. Th. 2. 2. q. 115. art. 1. ad a.

Responderi potest; quòd scilicet conveniens fuerit, permettere, ut homo tentaretur ab Angelo malo ad peccandum, sicut etiam per Angelum Bonum promovetur ad perfectionem; nam quemadmodum tentare, & inducere ad malum, non est, nisi jam depravati, ita promovere ad perfectionem non est, nisi boni; ad illud verò, quod in hac quæstione adeò difficile appareat, antequam respondeam, notanda est objectio, quam sibi proposuit S. D. est autem hæc: *DEUS præscius futorum sciebat, quòd homo per temptationem dæmonis in peccatum dejiceretur. Et sic bene sciebat, quòd non expediebat ei, quòd tentaretur: ergò videtur, quòd nec fuerit conveniens, quòd permetteret eum tentari.*

Quod

Quod est ipsissimum quorundam argumentum, existimatum, non decere DEUM, imponere præcepta, quæ certò violenda prævidet, quæ opinio mihi quidem videtur, Olera vel Hircum Calvini, aut Porcum Lutheri, peccata in DEUM referentium. Sed audiamus responsionem Doct. Angelici, quæ est ista: *Dicendum, quod sicut DEUS sciebat, quod per temptationem in peccatum esset dejiciendus, ita etiam sciebat, quod per liberum arbitrium resistere poterat tentatori.* Cujus rationem assignat: *Hoc autem requirebat conditio naturæ ipsius, ut propria voluntati relinquetur secundum illud Ecclesiast. 15. DEUS reliquit hominem in manu Consilii sui.* Quod totum S. D. defumpisse videtur ex S. Augustino lib. II. super Gen. adlit. cap. 45. circa med. ubi ait: *non mibi videtur, magna laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet; cum in natura POSSE, & in potestate haberet VELLE non consentire suadenti.* Ex quibus puto factum satis esse dubio illi; nam hac inter tentationes pugnâ, & earum victoriâ promeremur coronam illam justitiae, quam aliquando dabit justus Judex. Quintimò nostræ in statu naturæ lapsæ tentationes longè graviores sunt, quam fuit illa primorum parentum; hinc S. Thomas cit loc. ad 3. discrimen dat in eo: *quod impugnatio, cui cum difficultate resistitur, penalis est (sicilicet ex peccato originali) sed homo in statu innocentiae poterat absque omni difficultate tentationi resistere: & ideo impugnatio tentatoris ei penalis non fuit.*

70 Quæritur III. Quodnam fuerit primorum parentum peccatum?

In hac quæstione iterum divisi sunt Interpretes, & Theologi, ut notat Bellarminus cap. 4. de amiss. Gratiae, & alii, sicut ex eorum libris apparet, ut supervacaneum sit eosdem singulatim adducere. Bellarminus præ aliis ait de S. Bonaventura, & Scoto, utrumque existimare,

mare, primum peccatum Adamis fuisse amorem erga coniugem, non carnalis concupiscentiæ, sed amicitiæ. Et revera Scotus ita docet in 2. dist. 21. num. 2. Et hæc opinio fundamentum habet in S. Augustino 71. in Genesim dicente de Adam: *Noluit contristare eam, quam credebat sine suo solatio contabescere, & a se alienatam ostendere interire.* Quia tamen S. August. l. 14. de Civit. Dei. capite 13. quem etiam profet allegat S. Th. 2. quest. 163. potius de superbia loquitur

Dicendum est, peccatum illud primariò fuisse superbiam. Est expressa S. Thom. & communior aliorum. Opinio. Ratio desumitur ex Scriptura Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati superbia, & Tobiæ 4. in ipsa* (scilicet superbia) *initium sumptus omnis perditio.* Motivum autem superbiedi primi parentes desumperunt ex illis verbis: *Eritis sicut Dii &c.* sciebat enim callidissimus hostis, nihil efficacius objici posse, illâ excedentia, quam ut aquiterent, de ligno vetito comedenterunt: quod S. Thom. in 2. dist. 22. quest. 1. artic. 1. postquam assignavit objectum, circa quod Angelus superbivit, de objecto superbiae Adami sic ait: „Homo verò, qui creaturis inferioribus superpositus erat, ut eas regeret non tam per potentiam, quam prudentialiam, hoc modo appetiit, ut per naturæ suæ conditionem, & ligni prohibiti edulium tantam scientiæ plenitudinem consequeretur, ut ex lumine propriæ rationis - - & se ipsum regeret in omnibus, & inferioribus, sibi subjecta. Quod ibi verbis S. Augustini confirmat, dicentis: quod noluit (scilicet Adam) ut servus teneri preceptis, quasi ab alia regula per lumen naturali lumini superadditis: & hoc etiam verba serpentis ostendunt, qui promisit scientiam boni & mali, quod ad actiones pertinet & ad gubernationem rerum. Cæterum poena hujus peccati constat ex Genesis 3. à v. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos v. 19. in sudore vultus tui vesceris panem;* & ulterius patebit ex dicendis.

P A R S II.

De Statu Naturæ lapsæ.

Natura hujus Statū cognoscendus est per contrapositionem ad præcedentem, scilicet Justitiae Originalis; sicut enim illius statū tam ordinata integritas ex subjectione humanæ voluntatis erat, ita subducta humana voluntate à Divina, sublata etiam est subjectio, & subordinatio inferiorum virium ad rationem, & corporis ad animam; unde consequens erat, ut homo post lapsum sentiret in inferiori appetitu scasibili concupiscentiæ, & cæterarum passionum motus, non secundūm ordinem rationis, sed ei oppositos; exinde enim orta est pugna illa, de qua questus est Apostolus, dum sensit aliam legem in membris suis, contradicentem legi mentis ejus. Huic dissordinationi accessit etiam post peccatum, ut in corpore sentiretur corruptionis defectus, per quem incurreret necessitatem moriendi. Unde homo etiam factus est passibilis, & mortalis, non solūm remotè potens pati, & mori, ut antea, sed proximè, quasi habens necessitatem patiënti, & moriendi. - - - Et quia prædictum Originalis justitiae bonum sic humano generi in primo Parente Divinitùs attributum fuit, ut tamen per ipsum derivaretur in posteros; remotâ autem causâ removetur effectus, consequens fuit, ut primo homine prædicto bonō per proprium peccatum privato, omnes posteri privarentur; & sic de cætero, scilicet post peccatum primi parentis omnes absque Originali justitia, & cum defectibus consequenti- bus

būs sunt exorti. Ita recipit S. Thomas Opusculo 2. cap. 192. & seq. de quibus in hac parte, & de peccatis personalibus, agendum est.

QUÆSTIO I.

De Peccato habituali, & Originali.

Quia peccatum originale facilius cognoscitur per habituale, studiose hujus discussionem præmitimus. Suppono autem tanquam de fide certum, utrumque peccatum dicere aliquam maculam ex actu præterito remanentem, vi cuius anima dicitur immunda, inimica DEO, & exosa, sicut ante peccatum in gratia erat munda, grata, & amica DEO. Colligitur hoc passim ex Scriptura, sic Josue 22. dicitur: *Usque in præsentem diem macula bīgus sceleris in nobis permanet.* Atque ideo etiam Osee 19. peccatores dicuntur *immundi, sor-didi, & econtra iustificatio impii Apocal. 1.* dicitur *munda-tio, ablutio,* quæ sicut ex Scriptura, & SS. PP. certa sunt, ita multum dubium est inter Theologos, in quonam illa macula consistat?

ARTICULUS I.

In quo peccatum habituale consistat?

Sanctus Thomas de hoc agit hic quest. 86. per duos omnino articulos. In primo agit, utrum peccatum causet maculam in anima? & in secundo: an macula maneat in anima post actum peccati? & in primo resolvit affirmativè ex Apostolo, Ephes. 5. *ut exhiberet sibi glo-riosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam.* Macula propriè dicitur quidem de corporalibus, quando corpus ali-

aliquid perdit suum nitorem ex contactu alterius corporis immundi, ut constat in vestibus, aliisque quae similitudo est S. Thomæ. Per metaphoram autem dicitur etiam de Spiritualibus, in quantum privantur suo nitore spirituali, qui vel est naturalis, vel supernaturalis, hic consistit in refulgentia Divini luminis, Sapientiae, & gratiae: ille in lumine naturali rationis dirigentis hominem in suis actibus, & hic per peccatum grave in tantum tollitur, quatenus peccatum est contra rationem, illa vero supernaturalia non possunt stare cum peccato. Ita quo ad rem S. Thomas.

2 Dico primit: peccatum habituale non consistit in aliquo positivo, tanquam qualitate a peccato actuali & inducta, & relictæ. Est expressè S. Thom. hic art. 2. ad primum dicentis: *Quod post actum peccati nihil positivè remanet in anima, nisi dispositio vel habitus, manet tamen aliquid privativè, scilicet privatio conjunctionis ad Divinum lumen.* Nec potest ex S. Thom. per dispositionem, aut habitum intelligi illud positivum; quia nec dispositio, nec habitus est peccatum, hoc ipso, quod in homine post peccatum iterum justificato manere possit dispositio, seu inclinatio in simile peccatum, quod vel maximè locum habet in materia lubrica, ubi frequentiores lapsus sunt, nec tamen in talibus conversis manet peccatum habituale; nec enim pro illo statu conversionis amplius sunt immundi, & sordidi, cum per justificationem fuerint facti mundi, & DEO grati.

Accedit ratio negativa: non potest ostendi causa illius qualitatis positivæ: ergo non datur. Probatur antecedens; nam illius causa deberet esse actus præteritus; sed ille nihil causat, nisi dispositionem, vel habitum, in quibus juxta S. Thom. non consistit peccatum habituale. Deinde illa qualitas juxta Suarezium non aliter esset mala,

lo, nisi quatenus conjuncta cum aliquo nitoris privatione, ut adeò peccatum habituale formaliter diceret illam privationem, & tantum pro materiali illam qualitatent, ferme sicut aliqui Doctores dicunt de gratia sanctificante, illam consistere in qualitate aliqua se materialiter habente, fierique formaliter gratiam per favorem, seu acceptacionem DEI extrinsecam.

Singularis est etiam hic Sententia Scotti in 4. *dift.* 14. *quest.* 1. docentis: transacto actu nihil manere in peccatore, nisi denominationem extrinsecam, quam ens rationis vocat, & hæc consurgit ex ordinatione DEI, peccatorem ad poenam condignam destinantis. Atque hæc ordinatio DEI prout poenam respicit, est realis, quatenus à DEO provenit, est offensio DEI, in quantum verò est discordiens peccatori, est macula. Quæ Sententia non probatur Suarezio, nec Salmanticensibus, nec aliis communiter; tum quia macula dicit malum culpæ, vel certè ad malum aliquid pertinens; illa ordinatio verò DEI est bona, & justa; tum etiam, quia illa ordinatio ad poenam jam supponit peccatum. Iterum post peccatum admissum posset DEUS peccatorem non ordinare ad poenam, ut aliqui dicunt de peccatis damnatorum, quasi semper blasphemantium, neque tamen ordinantur ad novas poenas, quod suæ probabilitati relinquimus, at scilicet damnati formaliter peccant, & demereantur; hoc tamen in Sententia Scotti certum est, quod DEUS non necessariò peccatorem ad poenam ordinet, cùm possit ei peccatum remittere per nudam condonationem extrinsecam.

Nec hic etiam admittitur opinio Ochami in 4. q. 8. & 9. docentis, hominem dici peccatorem ex eo, quod peccaverit; hoc enim satis non est, alias Petrus semper posset dici peccator, etiamsi post negationem Christi poe-

nitentiam egerit, fueritque justificatus, quod est absurdum, nisi ly peccator appellat supra actum præteritum, sed retractatum; in quo sensu verum esset, sed hic loquimur de peccato habituali non retractato, ubi non sufficit aliquando peccasse, nisi aliud addatur, excludendo simpliciter Ordinationem DEI ad poenam.

3 Dico II. Peccatum habituale in homine destinato ad finem supernaturalem consistit in privatione gratiæ, ut connotante actum præteritum. Est communis TT. & RR. quoad rem, estque expressè S. Thom. cit. artic. i. ad 3. postquam negavit illam positivam qualitatem, dicentis: Sed significat privationem quandam nitoris anime NB. in ordine ad suam causam, que est peccatum, Et ideo diversa peccata diversas maculas inducunt.

Declaratur primò: peccatum habituale est habitualis, & voluntaria à DEO aversio: ergo consistit in privatione gratiæ. Antecedens suppono, consequentia probatur. Conversio habitualis ad DEUM, & cum eo amicitia, consistit in gratia, & charitate: ergo ex opposito aversio, & inimicitia consistit in privatione illius conversionis. Et sicut juxta S. Thom. cit. art. in Corp. nitor ille ex refulgentia Divini luminis per adhærentiam ad alias res contra Divinum lumen consistit in macula: ita illa aversio consistit in privatione conversionis habitualis: & quamvis macula, & privatio quoad rem sint idem, per similitudinem tamen ad maculam corporalem magis explicantur; ut enim hæc macula in veste contingit per contactum corporis sordidi, ita quasi contactus animæ quidam est, quando adhæret rebus contra lumen Divinum, & ita quasi contingendo maculatur, ut tamen macula solum metaphoricè dicatur.

Secundo: peccatum habituale immediatè, & formiter tollitur in justificatione peccatoris per collationem gra-

gratia: ergò peccatum habituale consistit in privatione gratiæ hoc ipso, quod forma tollat sui privationem, ut constat ex physicis.

Declaratur etiam quoad alteram partem Conclusionis: si nuda privatio esset illa macula, tunc omnia, peccata mortalia habitualia essent ejusdem rationis, quod tamen est falsum, & contra fidem; quia sicut actualia non sunt æqualia, ita nec habitualia: ergò non sufficit sola, privatio, consequenter ut habeatur diversitas peccatorum habitualium, necessariò requiritur peccatum præteritum velut causa peccati habitualis. Addit Suarez hic, quod juxta S. Thom. nulla privatio sit altera major, vel minor physicè, sit tamen moraliter per respectum ad causam; censetur enim una præ altera hominem redire magis deformem, & indignum. Si dein post peccatum semel admissum sequatur alterum, vel plura, licet non inducant novam privationem, augent tamen novò titulò, vel potius inducunt exigivè, ut si non adesset privatio ex aliquo peccato, per alterum induceretur, & hoc modo peccatum habituale moraliter semper crescit, quod plura peccata adduntur.

Si quereras, quænam sit causa efficiens maculæ? Respondeo, cum causam physicam non habeat, moralem ipsius esse peccatum præteritum, & indirectè causam, quasi efficientem esse DEUM, in quantum peccato actuali offensus tollit gratiam, subtrahendo concursum conservativum, & sic deserendo peccatorem. Nec tamen inferas, privationem esse potius poenam, quam culpam; nam respondeo, maculam habere & rationem culpæ, & poenæ sub diverso respectu: quatenus procedit ex actu peccatorum, est culpa, quia voluntaria, & sic reddit peccatorem à DEO aversum; quatenus verò est à DEO, habet rationem poenæ; DEUS enim subtrahendo gratiam

sc

se avertit à peccatore, priùs à se voluntariò per peccatum averso.

4 Dices I. Ex hoc sequi, privationem secundum unum presupponi ad se ipsam, scilicet quā culpam præcedere illam, in quantum est poena; hoc autem difficile esse ex aliis materiis, exempli gratiā de justificatione peccatoris, ubi gratia se ipsam præcedit, quatenus est causa producens dispositionem ad se ipsam, scilicet contritionem, & dein in facto esse ab eadem contritione dependet, ubi ejusdem qualitatis est prioritas, & posterioritas sub diverso respectu, quod tamen multi Thomistæ negant, præser-tim Aravio, Philippus à SS. Trinitate, Contensonius &c.

Respondeo S. Thomam nihil difficultatis habuisse in hoc, quod privatio secundum unum habeat rationem culpæ, & secundum alterum rationem poenæ, propter diversitatem causarum, à quibus procedit: quatenus est culpa, refunditur in actum præteritum, cùm sub hac ratione non possit DEO attribui; quatenus verò est poena, refunditur in DEUM. Instantiam diversi respectus habemus in Philosophicis, exempli gratiā, relatio, quæ communiter distinguitur à fundamento, habet duplē respectum: quatenus est accidens inhærens subjeeto, dicit rationem *in*, prout respicit terminum, habet rationem *ad*; imò hoc etiam procedit in solo fundamento proximo, à quo juxta me relatio non distinguitur rea-liter. Exempli gratiā, in actione, passione, quantitate, & qualitate, quæ respectivè duplē rationem involvit, de gratia non sit sollicitus Adversarius pro comuni Thomistarum contra paucos, nos problematicè defendimus utrumque sine difficultate.

Dices II. Privatio secundum omnem rationem cau-satur à DEO; ergò non habet rationem culpæ; conse-quentiā est certa, eò quod in DEUM nihil culpæ possit.

re-

refundi. Probatur antecedens: privatio tota provenit ex subtractione concursus conservativi gratiæ, consequenter tota in DEUM rejicitur.

Confirmatur: Posset DEUS absolutè afferre gratiam, nullo peccato præcedente, homini etiam dormienti; sed in hoc casu tota privatio refunderetur in DEUM: ergò privatio tota est à DEO.

Respondeo ad argumentum, omissis aliorum responsionibus, negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens: privatio tota provenit ex subtractione concursus conservativi, ita tamen, ut actus præteritus DEO causam præbuerit per aversionem actualem subtrahendi concursum, concedo antecedens, secùs nego antecedens, & consequentiam. Hoc ipso enim, quod peccatum actuale præcesserit, & peccator se voluntariè averterit à DEO, subtractione gratiæ habet rationem poenæ, sicut respectu actus præteriti habet rationem culpæ.

Ad Confirmationem concessis præmissis nego consequentiam & paritatem; nam in illo casu DEUS non haberet ex parte hominis ullam causam subtrahendi gratiam, sicut in nostro. Dein licet DEUS hoc possit vi omnipotentiæ, non tamen ex parte bonitatis, & misericordiæ, quia certè contra regulas amicitiæ est, qualis inter DEUM, & hominem justum intercedit, afferre sine causa fundamentum amicitiæ, quod etiam in hūmanis absurdum est.

Dices III. Si actus præteritus necessariò requiritur ad 5 peccatum habituale, tunc est pars intrinsecè constitutiva: ergò non rectè dicitur purum connotatum extrinsecum. Probatur sequela antecedentis: quod est specificativum, est etiam constitutivum: sed juxta S. Thom. actus præteritus est specificativum: ergò etiam est constitutivum. Maj. est notum axioma, & si vocetur in-

dubium, tunc, ait Adversarius, dubitabo & ego, num differentia metaphysica, & quælibet forma totius physici, moralis, aut artificialis sit pars constitutiva?

Confirmatur: in instanti peccati actualis jam datur privatio gratiæ, nec tamen habetur peccatum habituale, consequenter nondum habentur omnes partes; si enim haberentur, etiam adesset ipsum totum habituale, quia totum nihil est nisi suæ partes. Si dicas, non haberi adhuc in illo instanti peccatum habituale propter solum defectum alicujus extrinseci, & in obliquo importati.

Urget I. Cùm actus sit specificativum formale, unicum, & adæquatum, & quasi forma totius physici &c. non potest non esse pars in concreto physico: ergò etiam in concreto peccati habitualis.

Secundo: Poni in recto, vel obliquo tantum dependet à nostro intellectu, sic in concreto *album communiter ponunt Philosophi subjectum in recto, formam in obliquo, idque sic efferunt, album est subjectum babens albedinem*, quod facilè potest inverti: *albedo inexistentis, seu inhærens muro, nivi, lati &c.* constituit concretum albi, & sic albedo importatur in recto, quid autem interest, sive ponatur in recto, seu in obliquo, an ideo desinit esse pars?

Tertiò: Sacramentum Eucharistiae in recto non dicit nisi Corpus, & Sanguinem Christi sub speciebus panis, & vini, in obliquo verò formam, & materiam circa quam, nimirùm substantiam panis, & vini, quin & materiam proximam, scilicet actionem conversivam: nemo tamen hæc posteriora à partibus excludit. Nec iste Adversarius moratur textus S. Thom. quos commodè explicari posse existimat; sed hæc omnia olen regulam partium, adeò RR. animis, non tamen omnium, impressam, ut eam certissimam habeant. Proin ante Respon-

sionem notandum est discriminem inter **concreta intrinseca**, & **extrinseca**. Exempli gratiâ homo est **concretum intrinsecum ex corpore**, & anima tanquam partibus **intrinsecè**, & **essentialiter constituentibus**, & sic de aliis **compositis physicis**. Item album est **concretum intrinsecum accidentale**, in quo forma **intrinsecè determinat subiectum**, & sic de similibus. **Visum, cognitum, amatum** sunt **concreta extrinseca**, formis **extrinsecè se habentibus**. Alia dein quasi **concreta sunt**, exempli gratiâ **objectum respectu scientiæ, bonum respectu voluntatis**, ubi **specificativum est potius connotatum extrinsecum**.

Jam

Respondeo I. Ad argumentum negando sequelam, ad probationem nego Maj. universaliter; quia licet procedat in aliquibus, ut in toto Metaphysico, vel potius Logico, ubi genus, & differentia sunt **intrinsecæ**, immo identificatae: in toto substantiali **ex materia, & forma**, ubi forma specificat; hoc tamen locum non habet in **specificativis extrinsecis**, scilicet in **objectis Scientiarum, & aliarum potentiarum**. min. ex S. Thom. est vera de **specificativo extrinseco, & connotato**.

Ad confirmationem dico, quod in illo instanti **peccati actualis etiam privatio sit actualis, pro posteriori** tamen naturæ, consequenter non sit habitualis, nisi actu transacto, quem pro altero instanti reali dein **connotat, & sic fit habitualis, quod exinde probatur: si peccans in instanti A, ubi esset actus exercitè talis, & in eodem instanti privatio, in instanti B statim per actum contritionis se converteret ad DEUM, acciperet in eodem instanti reali gratiam sola prioritate, & posterioritate naturæ interveniente, tunc privatio antecedens fuisse solùm actualis, consequenter non in sola privatione **consistit peccatum habituale****. Si autem **Adversarius neget**

possibilitatem dicti casus, ipsius est ostendere repugnatiā. Dein privatio in eodem instanti pro posteriori tamen naturae jam connotat actum tanquam sui causam, sicut lux Solis in eodem instanti reali productionis jam connotat Solem tanquam sui causam, vel principium emanativum.

Dein sustineo ad mentem aliorum Thomistarum responsionem in *si dicas* allatam; nam s̄pē forma non tribuit denominationem ex defectu connotati alicujus extrinseci, ut constat in relatione, quæ non denominat subjectum relatum absente termino.

Ad primum *Urget* respondeo, actum quidem esse specificativum privationis, sed extrinsecum, sicut in relatione terminus est specificativum primarium, nec tamen est pars intrinseca, sed solūm connotatum extrinsecum.

Ad secundum admitto, in dato casu rationem recti & obliqui dependere ab arbitrio ita ponentis, interim semper verum esse, quod albedo recipiatur intrinsecè in muro, & cum illo tanquam subjecto faciat concretum accidentale intrinsecum, & ideo rectè dicatur pars intrinseca concreti *albi*, quod non est in privatione, & actu præterito.

Ad tertium dico, quod in Sacramentis loquamur juxta Concilia, Florentinum, & Tridentinum, ubi partes sumuntur latè; nam nec panis, nec vinum est pars intrinseca Eucharistiae, sed solūm remotè, & impropriè sic appellantur, quatenus sunt materia convertibilis. Dein aliud est Eucharistia in fieri, ubi verba consecrationis habent rationem formæ, panis autem & vinum sunt materia, & sic ibi habetur compositum morale ex partibus moraliter talibus: *in facto esse* autem Eucharistia sunt species continentes Corpus Christi, & Sanguinem, vel Corpus & Sanguis Christi connotantes species, per quas *Sacra-*

cramentum sensibile redditur, in utroque autem moraliter loquendo sustinent illa partem quasi intrinsecam moraliter, physicè autem loquendo solum se habent ut connotata, nisi Adversarius etiam admittat in signo *ut sic significatum esse partem signi*, vel ex illis duobus coalescere concretum, cujus partes sint signum institutum ad placitum, & res significata, quod tamen non est, esse partem intrinsecam, nisi ita discurramus de cognito, amato &c. Sed dein erit disputatio de nomine.

Et si diceretur, privationem habere relationem, moralem ad peccatum præteritum, & moraliter intrinsecè specificari ab illo ordine, ut adeò actus præteritus se solum haberet ut connotatum, quid posset efficaciter opponi? ego quidem nihil video.

ARTICULUS II.

De Peccato Originali, & ejus Propagatione.

Dari Peccatum Originale est de fide, unde S. Augustinus in lib. de Peccato Originali cap. 24. ait: *In causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè Fides Christiana consistit.* Idem S. Pater lib. I. adversus Julianum cap. 2. confirmat in hæc verba: *Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regule Catholice defensores salva fidei compage non consonant, & alius alio de una re melius dicit, & verius.* Hoc autem, unde nunc agimus, ad fidei pertinet fundamenta. *Quisquis in Christiana fide vult labefactare, quod scriptum est: per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, totum, quod Christum credimus, afferre molitur.*

Sanctum Augustinum preffo pede sequitur D. Thomas 1. 2. quæft. 81. art. 1. in responsione sed contra, ubi allegat illud Apostoli Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Addit dein, quomodo hoc peccatum intraverit ex Sapientiæ 2. *Invidiâ diaboli mors intravit in Orbem terrarum.* Subinde in Corp. cit. art. 1. Statuit, quod secundum fidem Catholicam est tenendum, quod primum peccatum primi parentis originaliter transit in posteris. Addit posteà: *Contrarium est autem bærefis Pelagianæ, ut patet per Augustinum in plurimis suis libris.* Omissis aliis S. Scripturæ textibüs ulterior probatio desumitur ex Concilio Tridentino Seſſ. 5. in Decreto de Peccato Originali, præsertim Canon. 2. ubi anathemate ferit: *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini afferit nocuisse, & acceptam à DEO Santitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eam perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est anime.* Rationem verò hujus definitionis addit Concilium: cùm contradicat Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum &c.* & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccârunt.

7 Sed quamvis hæc de fide certa sint, eo ipso tamen tam obscura, & intricata sunt, ut ipse S. Augustinus de moribus Ecclesiæ cap. 22. dicat: *Hoc peccato nihil esse ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius.* Et lib. 3. de peccatorum meritis ipse fatetur cap. 4. etiamsi refellere (scilicet Pelagianorum) argumenta non valeam, video tamen, inbærendum esse iis, que in Scripturis sunt apertissima. Prima autem difficultas oritur ex eo, quod peccatum originale consideremus ad mensuram peccati personalis, quod à voluntate propria, præcedente objecti cognitione descendit, quod, cùm in originali mens nostra non inveniat, suspen-
di-

ditur, & miratur, quomodo homo possit esse particeps peccati, quod nunquam voluit, quia nunquam cognovit, immo velle non potuit, adhuc in rerum natura non existens: sed cum peccatum originale sit prorsus diversum a peccato personali actuali, taliter considerandum non est, ejusque recta notitia ex SS. Litteris, & SS. PP. praesertim Augustino, & S. Thoma eruenda est.

Altera difficultas est, qua ratione dici possit uniuscujusque posteri proprium, quod tamen unus solus commisit? Tertia denique, quomodo mereamur tam gravem poenam, scilicet privationem gratiae, & gloriae, alias que rerumnas, quas innocentes incurrimus?

Quae cum Pelagius capere non posset, & credere non vellit, contra aperta Sacrae Scripturae testimonia teste Bellarmino lib. 4. de peccato originali cap. 2. & Patrecolo in Elencho omnium Heresim lib. 14. num. 14. docuit palam cum suo discipulo Coelestio, peccatum Adami soli ipsi nocuisse, non autem posteritati: quod autem omnes, qui ex Adamo originem trahunt, moriantur, fieri naturaliter, cum & ipse Adamus moriturus fuisset, etsi non peccasset. Dein accusatus in Synodo Palastina de hoc errore, ut anathema evitaret, damnavit omnes, qui assererent, peccatum primi hominis posteris non nocuisse: ut verò apud discipulos suos autoritatem in doctrina prius traditam conservaret, dixit, se intellexisse solum, quod peccatum Adami posteris nocuerit per modum mali exempli, quod dein secuti sint omnes, qui peccarunt. Sed post hunc errorum in alium, & alium lapsus est, nunquam sibi constans, ut contingit plerumque Hæreticis, Spiritu Sancto semel destitutis. Postea enim convictus argumentis Catholicorum concessit, Adamum neutiquam moriturum fuisse, si non peccasset, post peccatum verò ipsum mortis legibus subfuisse, talesque mortales genuisse, & mortali-

talitatem in omne genus humanum propagasse, non tamen peccatum tanquam mortem animæ.

9 Errorem Pelagii secuti sunt plurimi, qui passim in hac materia referuntur à Theologis Scholasticis, Salmanticensibus, Gonet, Suarez, Mastrio, præsertim Bellarmino &c. dum enim agitur pro veritate Catholica contra Hæreticos, omnes Scholæ Catholicæ convenienter, ut pestem avertant. Inter alios sequaces Pelagii excellit Zwinglius, qui tres illas difficultates confirmat, postquam enim dixerat, originale non esse peccatum, sed morbum aliquem pervagantem genus humanum lib. I. de Baptismo tract. 3. ait: *Theologi morbum hunc, & contagionem naturæ nostræ hæreditariam, peccatum originale vocare consueverunt, Pauli Apostoli dictum, quo ad Romanos cap. 5. utitur, minus probè intelligentes; qui enim fieri potest, ut, quod morbus, & contagio est, peccati nomen mereatur, vel peccatum reverà sit?* Et eodem tract. in digress. de peccato orig. suum errorem confirmat non sine calumnia in Theologos Catholicos: *Pauca quædam de peccato originali nobis dicenda sunt: nec ignoro, quot convitiorum plausa nobis à Pontificiorum rabie, & fremitu expectanda sint, qui me etiam hanc ob causam hæreticum esse clamabunt, qui Scripturas nec ipse intelligam, nec exponam aliis, sed falsis interpretationibus corrumpam, & convellam. Sed utut fremant, peccatum originale nibil aliud esse dicimus, quam morbum illum, qui hereditario jure ab Adamo primo omnium nostrum parente in nos derivatus est.* Et infrà: *Unde colligimus, peccatum originale morbum quidem esse, qui tamen per se culpabilis non est, nec damnationis pœnam inferre potest, utcunque hic nobis Theologorum Disputationes, & Sententiæ reclamitent.* Hic homo sati sese, & eleganter loquitur, si verba spectes, felicior olim & in hoc, & in altero sæculo futurus, si veritati Catholicæ suam operam collocâset. *Hic expressè contra Scripturam loquitur, quæ non tantum contagionem,*

nem, & morbum Originale appellat, sed & peccatum, ut constat ex textibus Apostoli: quod verò Theologi Catholici minùs probè id intellexerint, ex dicto illo Apostoli non apparet. Hoc tamen verissimum est, hunc Hæreticum improbè intellexisse.

Contra explicationem Pelagii de *Originali tanquam iō Exemplo* est I. Si hoc peccatum Adami esset universale ex eo, quod esset aliis exemplo peccandi, tunc omnes post Adamum peccarent: hoc autem est falsum ex Scriptura, juxta quam multi ex Patriarchis erant personaliter innocentes, ambulantes cum DEO, uti constat de Noë, Henoch, & Elia. Imò aliqui jam fuerunt sanctificati in utero Matris, ut constat de Jeremia Propheta *Jeremiæ i. Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva, sanctificavi te.* Idem constat de S. Joanne Baptista *Luc. i.* atque hodie est certissimum de B. Virgine, eam nunquam peccasse, ut potè statim in gratia confirmatam.

Contra est II. Parvuli, qui nec libertatem, nec usum habent, non possunt imitari exemplum Adami, & tamen secundùm Scripturam sunt infecti peccato originali, ut. convincitur ex illo *Jobi 14.* ubi ille querit: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum femme, nonne tu, qui solus es?* unde septuaginta Interpretes ad hunc textum Jobi dicunt, *nemo mundus à sorde, nec infans unius diei super terram.*

Contra est tertio: quis dedit exemplum peccati *Evæ*, quæ Adamò prior peccavit? si dicis, serpentem dedisse, infero: ergò potius exemplum diaboli, quam Adami aliis occasio peccandi fuit; nam invidiā diaboli mors intravit in orbem terrarum.

Ceterum licet illæ difficultates per dicenda deinceps sint tollendæ, supponendum tamen est, peccatum originale in sensu Theologico, seu rigoroso, esse verè peccatum,

tum, si ita sumatur, quod privat gratia sanctificante, quod reddit filium irae, DEO odiosum, & exhaeredem gloriam, quae omnia praestat in nobis, ut clare monstratur ex Scriptura & Conciliis, estque haec doctrina S. Augustini, S. Anselmi, S. Thomae, & communis Theologorum. Si vero peccatum sumatur pro exercitio proprio, libero, & voluntario contra legem prohibentem, non est proprietas in nobis actu peccatum. Ex quo interim respondendum est Zwinglio, donec clarius appareat, in quo sensu originale sit proprium cuivis, cuius notitia tota desumenda est ex transfusione primi peccati in posteros omnes. Juxta Apostolum, & Tridentinum cit. loc. dicens: *Hoc peccatum origine quidem unum esse, sed propagatione transsum, ita, ut insit unicuique proprium.* Pro quo ulterius declarando.

I. Inquirendum est, quomodo peccatum originale diffusum sit in omnes posteros? Pro quo?

Sciendum est primò, non esse peccatum, ubi nullum est voluntarium, quia essentialiter dicit respectum, & ordinem ad principium suum, scilicet voluntatem, aliquo modo conjunctam vel *physice*, vel *moraliter*, ex quo subinde oritur peccatum; ideo unum voluntarium dicitur formale, ut sunt omnes actus, vel omissiones etiam juxta nos, quos voluntas elicit, & imperat; & aliud *moraliter* tale. Hinc.

Sciendum est secundò, voluntarium dici posse duplíciter; vel quatenus est in illo realiter, vel quia, licet ab illo separatum sit *physice*, est tamen in illo *moraliter*, & sic conjunctum, cuius est exemplum familiare in mandante, & mandatario, ubi voluntas unius est separata à voluntate alterius *physice*, *moraliter* tamen utriusque est una; quod enim vult unus, vult etiam alter, & quidquid agit mandatarius, agit & mandans, cuius voluntas est

trans-

transfusa in voluntatem mandatarii. Quod etiam exemplô appositô explicatur, ubi tota aliqua comunitas suam voluntatem in ordine ad negotia quædam gerenda transmittit in alterū, ut quidquid ille faciat, & ratihabeat, moraliter loquendo & ipsa communitas fecisse censeatur.

Sciendum tertio, voluntatem seu consensum in alienam voluntatem variè alteri committi posse; strictè loquendo voluntas transfertur in aliud, quando ipsum suppositum hoc facit, ut constat ab exemplo mandantis, qui ipse deliberatè, & voluntariè suam voluntatem transmittit mandatario, ut ad omnia teneatur præstanda, quæcunque fecerit, aut omiserit mandatarius, modò ille inter limites sui mandati perstiterit: & si mandatarius male rem intra lineam suam egerit, mandans sibi ipsi imputare debet, quod minus habentem elegerit. Minus strictè, seu respectivè tantum translatio voluntatis in alterum fit, ubi sine consensu proprio, & formalí ipsius suppositi Princeps, vel alius Superior ratione suæ potestatis sibi voluntates subditorum subordinare potest ad aliquid agendum, ut quidquid ille agit quæ Princeps, & Caput, exerceant etiam subditi, vel egisse censeantur; cujus exempla in rebus politicis; & jure civili quam plurima habentur.

Ex his inferimus, si Princeps, præsertim supremus, in terris, possit sibi subordinare voluntates subditorum ratione dominii, & jurisdictionis alteræ, quod & DEUS hoc possit modò eminentiori, scilicet omnes voluntates totius posteritatis subjicere voluntati primi hominis, tanquam CAPITIS, & PRINCIPIIS totius propagationis secuturæ. Et ita DEUM fecisse defendimus, scilicet omnium voluntates alligasse voluntati Adami, ut, sicut si Adamus permanisset in statu innocentiaz, nos

dona illa, & gaudia Paradisi fuissimus adepti, ita, ipso peccante, delapsi simus in miseras hujus vitæ.

Ex quo ulterius consequitur, quod transfulsis *mores* & *morali* omnium posterorum voluntatibus in illam Adami, is non sit Caput *naturale* tantum ratione propaginis naturæ, sed etiam Caput *morale* in ordine ad consensum, vel dissensum, ad obediendum legi Divinæ, vel non. His jam suppositis, Adamus accepit à DEO præceptum negativum Genesis 2. v. 16. *Ex omni ligno Paradisi comedere, de ligno autem Scientia boni & malorum comedere, in quounque enim die comederis, morte morieris.* Morte scilicet spirituali, consistente in privatione justitiae originalis, in qua creatus fuit. Ac etiam morte naturali: atque hoc præceptum transgressus est Adam præunte Eva à serpente decepta, quæ Genesis 3. v. 6. *Tulit de fructu illius & comedidit, deditque viro suo, qui comedidit.* Hinc ille casus omnium gravissimus, quo se ipsam, totamque posteritatem ruinæ tristissimæ Adamus involvit, ut ante jam dixi; Nam S. Augustinus lib. 16. de Civit. Dei. cap. 77. illud Psalmi 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ ita intelligit; quia, inquit, in Paradiso cum primo parente legis transgressi sunt peccatum; ibi prævaricati sunt in me.* Idque juxta dicta superius declarat Tridentinum in *Decreto de Originali*, scilicet Adamum & sibi, & nobis amississe justitiam, & sanctitatem, quod dici non posset, nisi quatenus vi decreti, vel pactu nostras voluntates suæ moraliter annexas habuisset, quia sublatò pactò sibi solum peccasset, non nobis. Quando ergo dicimus, Adamum illius ruinæ causam fuisse, intelligimus in eo sensu, quod ille tanquam caput personaliter, & deliberatè peccaverit, nobis solum moraliter peccantibus ratione alligationis factæ. Unde non est omnino paritas inter mandantem, & mandatarium, vel ubi voluntas plurium in unum, qui negotia communitatis gerat, de-

vol-

volvitur; nam in utroque hoc contingit ex formalī, & voluntaria translatione voluntatis, non autem in nostro casu, ubi DEUS vi suæ potestatis in nostras voluntates id fecit, easque in voluntate Adami, nescientibus nobis, transtulit, cuius magis proportionatum exemplum est in Principe, qui vi potestatis suæ voluntates subditorum in suam transfert: ut ergo discrimen inter unum, & alterum magis pateat, audiendus est S. Augustinus lib. i. de peccatorum meritis cap. 10. differens: *Manifestum est, alia cuncte esse propria peccata, in quibus bi tantum peccant, quorum peccata sunt: aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando NB. omnes ille unus homo fuerunt, quod sapientius alibi repetit reassumendo, quod in Paradiso omnes fuerint ille unus homo Adam.* Cui consonat S. Bernardus Serm. i. de Domin. i. post Epiph. de culpa originali loquens: *aliena est, ait, quod in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra est, quia et si in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justum DEI iudicium imputabatur, sed occultum.* Quod equidem durum videtur, & hoc ipso Hæreticis errandi occasionem præbuit. Sed quis contra Dominum, ejusque dispositionem? oportet in similibus captivare intellectum in obsequium fidei, præsertim ubi vulneri in Paradiso inficto tam pretiosa medicina fuit apposita in Passione, & Sanguine Christi, ut ipsa Ecclesia exclamat: *O felix culpa, que talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!*

Dices I. Contra Bernardum: non potest justum DEI iudicium, licet occultum nobis imputari, quod re ipsa non patravimus: sed peccatum illud re ipsa non patravimus: quomodo ergo justè nobis imputari poterit? dein nemo nesciens peccat, ubi ignorantia est invincibilis, qualis est in nobis respectu peccati personalis in Adamo.

Respondeo distinguendo Maj. non potest nobis justè imputari, quod nullo omnino modo patravimus, con-

cedo Maj. quod *moraliter* saltem patravimus; nego Maj. & sic distincta min. nego consequentiam. Jam diximus, peccatum illud nos patrâsse *moraliter*, quatenus nostræ voluntates erant annexæ voluntati priuvi parentis: & licet *re ipsa* nos non peccaverimus, sicut Adam, per voluntariam, deliberatam, ac exercitam transgressionem legis Divinæ, peccavimus tamen, in quantum omnes eramus *ille primus homo* juxta S. Augustinum citatum.

Unde attendenda est æquivocatio hæreticorum in illo *re ipsa*, quod in nostro sensu accipiendum est. Ad alterum, quod nemo invincibiliter nesciens peccet, respondeo, id verum esse in peccatis personalibus, non in Originali, ubi haud dubie nondum existentes ignoravimus legem illam Divinam, & sic nemo nostrum personaliter peccavit; peccavimus tamen omnes in Adam, nec in illo eramus ignari legis Divinæ, quam in ipso, & per ipsum cognovimus.

13 Dices II. Ideò peccavimus in Adamo, quia DEUS nostras voluntates alligavit voluntati Adami: sed DEUS non potuit ita alligare: ergo non ita peccavimus. Maj. est vera ex dictis, min. prob. non potest DEUS nos avertire ab ultimo fine; sic ordinariè non potest DEUS homini dormienti auferre gratiam sanctificantem, & sic avertire habitualiter ab ultimo fine, ad quem per gratiam habitualiter erat conversus: sed si DEUS alligasset ita nostras voluntates, avertisset nos ab ultimo fine, sicque DEUS esset causa aversionis, quod videtur absurdum, & indignum DEO.

Respondeo, hanc objectionem supponere, Adamum, cæterosque descendentes debuisse produci in statu gratiæ, quod falsissimum est; nam dudum confixa est illa Sententia Bajana: *Integritas prime creationis non fuit indebita humana naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Item al-

altera dicetis: *Absurda est eorum Sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuitè supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate DEUM supernaturaliter coleret.* Sunt & aliæ Bajæ Sententiæ, ab Ecclesia circa eandem materiam damnatæ, ex quibus evidenter apparet, hominem ab initio gratis fuisse conditum in justitia Originali cum dono integratæ, & immortalitatis, cùm potuisset produci in puris naturalibus. Hinc in forma.

Respondeo: nego antecedens, ad probationem nego min. nam DEUS non avertit nos ab ultimo fine; quem nos ipsi in Adamo intendimus, sed tantum non dat justitiam originalem propter peccatum illud, & sic justè agit, sicut Adamo personaliter peccante sustulit justè gratiam originalem in postnam, & ita descendit in nos. Vide dicta de peccato habituali.

ARTICULUS III.

Quomodo Originale posteris fit voluntarium.

Suppositis dictis in priori Articulo de propagatione peccati Originalis.

Dico I. Peccatum Originale in posteris est voluntarium terminatio, non per modum exercitii, sed per modum effectus.

Explicatur: Voluntarium est, scilicet moraliter ex ordine ad voluntatem Adami tanquam Capitis continentis in se ex Decreto DEI voluntates posteriorum. Quod non fit voluntarium per modum exercitii, constat ex hactenus dictis; quia illud voluntarium est solius peccati actualis: terminativè tamen ex parte effectus causati, quia, cùm peccatum originale sit de genere peccati habitualis, non

non actualis, peccatum autem habituale sit solum voluntarium terminativè, tanquam effectus peccati actualis, & ideo etiam permanet, postquam omne voluntatis exercitium cessavit, rectè Originale dicitur voluntarium terminativè, tanquam effectus ab actuali causatus.

Confirmatur ex doctrina S. Thom. quest. 4. de malo art. 1. quam in compendium cogimus, scilicet in ordine ad nostrum propositum: potest homo duplisper considerari, semel, ut est persona singularis, aliter, ut est pars alicujus Collegii, seu Communitatis, & utroque modo potest actus aliquis ad ipsum pertinere; nam quatenus est singularis, seu particularis persona, pertinet ad eum actus, quem propriò arbitriò, & per seipsum exercet: in quantum verò est pars communitatis, ad eum pertinet actus etiam à communitate factus, licet eum proprio arbitriò non exercuerit: quia talis communitas juxta Philosophum reputatur quasi unus homo, ut quilibet censematur fecisse, quod fecit communitas, vel quod illi faciunt, qui communitatem repräsentant.

Ulterius supponendum est ex eodem S. Thoma cit. loc. quòd primus homo fuerit creatus, & Caput humani generis constitutus, in quantum habuit donum supernaturale, scilicet justitiam Originalem: hoc autem donum non fuit ipsi datum, ut singulari personæ tantum, sed ut cuiusdam principio totius naturæ humanæ, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros illud donum; cum ergò hoc donum primus homo per liberum arbitrium peccando amiserit, defectus hujus doni à Capite totam ejus posteritatem infecit; & iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur natura humana. Hæc re ipsa est mens S. Thom. dein ut clarius rem explicaret, adjunxit: Si ergò defectus iste hoc modo per originem in istum hominem derivatus, secundum quid est quadam persona

sona singularis, non potest habere rationem culpæ, ad quam requiritur voluntarium proprium; sed si consideretur iste homo generatus sicut quoddam membrum totius naturæ humanae, à primo parente propagatæ, ac si omnes essent unus homo, sic babet rationem culpæ propter voluntarium ejus principium, quod est actus peccatum primi hominis. Et hæc sunt omnia ad mentem S. Augustini deducta, ex quibus Tridentinum suam declarationem sumpsisse meritò videtur. Atque ex hoc colligendum est, quomodo Originale in nobis sit voluntarium terminativè, non formaliter, respectivè scilicet ad formale, & proprium exercitium liberi arbitrii.

Confirmatur ulterius ratione conformiter S. Th. à pari: peccatum, quod per se primò personæ, non naturæ est, est voluntarium voluntate personali, alias non esset propriè peccatum: ergò à contrario peccatum naturæ, non personæ, debet esse voluntarium non voluntate personæ, sed voluntate naturæ; peccatum autem originale est ita voluntarium, atque ideò destruxit justitiam originalem, quæ fuit in Adamo concessa toti humanae naturæ; ergò illo labente lapsa est tota humana natura, & dono illo privata, hinc Apostolus ad *Ephesios* 2. Originale vocat peccatum naturæ, dum ait: *Eramus naturâ filii ire*, consequenter Originale non alio modo debet esse voluntarium, nisi voluntate naturæ, scilicet existente in primo homine, tanquam Capite naturæ in utraque linea, naturali, & supernaturali.

Dices, ex hoc sequi, quòd, si originale sit voluntarium voluntate naturæ, pueri etiam illud contrahant, non tantùm ut membra naturæ, sed etiam privatim, quia quivis in singulari contrahit, ideoque baptismô indigent, hoc autem videtur durum: sequeretur etiam, quòd, si Originale sit voluntarium, aliquo saltem modo possimus vituperari, & increpari: sed propterea præser-

Q

tim parvuli increpari non possunt, cùm ita nascantur, nec penes hominem sit, aliter nasci.

Respondet ad hoc Vasquez. distinguendo increpationem, quia quævis fieri non potest; sive ergò increpatio sumitur pro nuda poena damni, quam justè patiuntur parvuli propter illud voluntarium in capite, alia autem increpatio, quæ fieri verbis solet; cùm habeat rationem contumeliaz, refertur ad poenam Sensus, quæ locum non habet in pueris, ut infrà videbimus.

S. Thomas, hic art. 5. paulò aliter respondet ad similem objectionem: *Dicendum*, ait, quòd ei, quod est per „originem contractū, non debetur poena, & increpatio, „si referatur ad personam, quia sic non habet rationem „voluntarii, sed si referatur ad naturam, sic habet ratio- „nem voluntarii modō dictō, & hoc modo debetur in- „crepatio, & poena.

16 Quæres, cur voluntates hominum fuerint alligatae voluntati Adami, & non etiam voluntates Angelorum voluntati Luciferi, qui erat eorum, scilicet malorum Caput, & Princeps? jam suprà num. 69. dixi, has Quæstiones vix mereri responsum, sed tamen iterum

Respondeo, hujus disparitatem petendam esse ex voluntate DEI, unum volentis, & non alterum, quæ voluntas ex sacris Litteris, & PP. manifestè eruitur. Dein non erat congruum alligare voluntates aliorum Angelorum, qui omnes in perfectione creati erant, & hoc ipso expediti ad operandum, præsertim in instanti secundo, ubi plenè liberi peccârunt. An verò non Lucifer & suò exemplō & singulari illustratione seduxerit alios, posset moveri, quæstio, in qua juxta doctrinam de peccato primo Angelorum affirmativam tenent quām plurimi, & gravissimi Theologi apud Salmanticenses

Dices ex argumento Hæreticorum: ideò omnes pec- 17
 cavimus in Adamo, quia ille fuit caput, & principium po-
 steritatis tam *physicè*, quam *moraliter*, etsi nos voluntate
 propria non peccaverimus, & tamen propter ipsum, &
 in ipso transgressi sumus mandatum DEI de non come-
 dendo fructu, & hoc peccatum erat inobedientiæ saltem
 formaliter: ergò etiam (inferunt Hæretici) quia Christus
 fuit Caput omnium fidelium, & verè credentium, per
 ipsum ab illo maledicto liberati sumus, & per obedi-
 tiā ipsius facti filii amoris, sicut per Adamum filii iræ,
 ita ut nobis sufficiat justitia Christi imputata, per quam
 justi sumus, & denominamur, favente ipso Apostolo in
 cit. illo Rom. 5. v. 19. Sicut per inobedientiam unius hominis
 peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius homini-
 sis (qui est Christus) justi multi constituentur. Et clariùs
 suprà eodem cap. v. 18. Sicut per unius delictum in omnes ho-
 mines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes ho-
 mines in justificationem vite. Et à fortiori: si enim unius
 delictō mors regnavit per unum, multò magis abundan-
 tiā gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita
 regnabunt per unum JESUM Christum. Hoc potissi-
 mum erat Hæreticorum argumentum, & adhuc est Lu-
 theranorum, in sola, & nuda fide in Christum confiden-
 tiūm.

Confirmatur: ad condemnationem posteritatis suf-
 ficit imputatio veri, & personalis peccati Adami: ergò
 etiam unius Christi justitia omnibus imputata sufficit;
 quia Christus fuit oppositus Adamo, ut, quod ille corru-
 perat, Christus repararet. Quæ paritas ex Apostolo
 semper assumi potest, ut vel ideo Hæretici videantur ha-
 bere sui erroris fundamentum ex Apostolo cit. loc.

Respondeo ad argumentum concedendo antece- 18
 dens, negando consequentiam, & paritatem; nam aliter

Q. 2

Adam

Adam constitutus est Caput omnium, scilicet tam in linea physica in ordine ad generationem naturalem, quam morali per alligationem voluntatum nostrarum in ordine ad bonum vel malum, ut adeò, quod ille transgrediviendo legem, malè egit, nos omnes juxta superius dicta egisse censemur; aliter autem Christus est Caput, non per alligationem voluntatum, alias quidquid Christus egit, nos omnes egisse dicemur, quod est absurdum, & contra Evangelium, ubi toties Christus ipse repetit, ut ad exemplum suum servemus mandata, si velimus vitam æternam ingredi; nam *Matthæi* 19. v. 16. dum eum unus accessisset interrogans: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* & v. 17. respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* & dum alter instaret: *que?* (scilicet præcepta) subjunxit Christus: *non homicidium facies, non adulterabis &c.* illa nempè cavenda esse, quæ in Decalogo continentur. Et *Joan.* 5. v. 29. ait: *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vite, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Et ipse Apostolus, cui adeò innittuntur hæretici, solam fidem sine operibus excludit; quia 2. ad *Corinth.* cap. 5. v. 10. clarissimè ex antè dictis à se infert: *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut NB. referat unusquisque propria corporis: prout gessit, sive bonum sive malum.* Ex quo patet, solam fidem ad salutem non sufficere, quæ sine operibus mortua est; quid autem vitæ cum morte, quid luci cum tenebris, in quibus hæretici habitant? Christus ergò in eo sensu est Caput nostrum, quatenus pro nobis se æterno Patri obtulit in satisfactiōnis pro peccatis nostris holocaustum, per Passionem suā, & mortem explendum, & offerendum juxta eundem Apostolum cit. cap. 5. v. 18. ubi ait: *Omnia ex DEO, quo nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.* Hujus igitur reconciliationis non effici-mur

mur effectivè participes, nisù mediantibùs illis, quæ nobis necessaria præscripsit Christus, nempè usum Sacramentorum, & præceptorum observantiā; per Sacra menta tanquam canales gratiam accipimus, & sic participes illius reconciliationis reddimur, quod insinuâsse videtur Apostolus *cit. loco v. 19.* dicens : *Quoniam quidem DEUS erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans delicta ipsorum, Et posuit in nobis verbum reconciliationis.* Verbum illud reconciliationis in nobis in tantùm est positum, in quantum ipsis nos possumus participes facere Passionis Christi, sine usu Sacramentorum, & operibus nostris nunquam profuturæ. Si ergò Apostolus dicit, nos justos esse constitutos per Christum, nos in justificationem vitæ translatos esse, nos gratiam in abundantia, donationem, & justitiam accepisse, intelligendus est in eo sensu, quòd Christus nobis ista meruerit, si utamur mediis illis præscriptis : & sic Christus tantùm in actu primo nobis ista præparavit, ita tamen, ut ad actum secundum requiratur nostra operatio in mediis illis, gratiam Christi nobis attrahentibus; consequenter Sancti, & justi non sumus per Sanctitatem, & justitiam Christi, quæ se extrinsecè habent.

Unde Concilium Tridentinum *Seff. 6. de Justificatione* 19 illam justitiam extrinsecam à Christo provenientem tanquam hæreticam in *cap. 7.* rejicit, post alia dicens: *Demum unica formalis causa* (scilicet in justificatione impii) *est justitia DEI,* NB. *non qua ipse justus est, Et qua nos justos facit, qua videlicet ab ipso donati, renovamur Spiritu mentis nostræ, Et non modo reputamur, sed vere justi nominamur, Et sumus, justitiam in nobis recipientes.* Ex quibus est primò contra hæreticos, qui solum justi sunt justitiâ Christi, qua ipse justus est, quod est merè quid extrinsecum. Secundò per illam justitiam reputaremur solum justi per denominationem extrinsecam. Tertiò justitia vera, qua DEO re-

conciliamur, debet in nobis esse recepta: ergò illa justitia non est justitia DEI, aut Christi, quæ in nobis recipi non potest; id ergò à Christo Salvatore habemus, quod nemo possit esse verè justus, nisi cui merita Passionis Dominicæ communicentur: id tamen declarat Concilium *cit. cap. 7.* versùs finem: *In bac impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque illis inhæret: justitia Christi non inhæret, sed ipse est justus secundūm Apostolum Rom. 3. v. 26. & justificans eum, qui est ex fide JESU Christi: consequenter illi participant justitiam Christi, qui credunt, séque per spem capaces redundunt illius doni cœlestis.* Utque appareat clariùs, quām remoti sint, qui in sola justitia Christi respectivè ad nos extrinseca confidunt, Tridentinum *cit. Seff. cit. Can. 11.* declarat: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiae Christi (hoc dicunt hæretici) vel sola peccatorum remissione (merè extrinseca) exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem DEI, anathema sit.* Ergò opinio hæreticorum in vera Ecclesia locum non habet, postquām ab ea damnata est *ex Apostolo antea cit. cap. 5. ad Rom. v. 2.* ubi explicat, quomodo justificemur per Christum, scilicet: *Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.* Gratia illa, ex qua stetit Apostolus, non fuit justitia Christi, sed per justitiam Christi habuit accessum mediante fide ad illam gratiam intrinsecam, quæ sola facit gloriari in spe gloriæ filiorum DEI; per justitiam Christo ut intrinsecam, & nobis extrinsecam nec justificamur, nec digni reddimur gloriæ filiorum DEI, nisi fortè ideo Christus passus sit, ut otiosi, & nihil boni operis exercentes deferamur ab Angelis in Coelum, *sola*

sola ipsius pro nobis satisfactione, & justitia suffulti, quod sicut est contra Apostolum, & totum Evangelium, ita sperare impium est.

Dubitabis adhuc, an peccante Eva, & Adamo perse-²⁰verante, filii posteà geniti Originale peccatum contraxiſſent?

Respondeo negativè conformiter S. Thomæ, cuius h̄ic quæſt. 81. artic. 5. est ratio in Responſione ſed contra ex Rom. 5. ubi dicit Apostolus: *per unum hominem peccatum in bunc mundum intravit*, nomine autem hominis primariò venit masculus, non foemina; quia ille eſt primum generationis principium, & juxta dicta illius voluntati alligatae ſunt voluntates posterorum, non Evæ tam fragili reſpectivè: ſed ſi Adamo peccante Eva perfeveraſſet, tunc fuifſet peccatum Originale transfuſum, e converso autem eſſet, ait S. Thom. in Corp. ad finem, ſi Adam peccāſſet, & Eva non.

Dices contra hoc ultimum ex Scriptura Ecclesiast. 25. ubi Sapiens ait: *à muliere initium peccati, & per eam omnes moriuntur.* Et ex Genesi ſupra num. 6. citata cap. 3. v. 6. Mu-lier priùs comedit fructum, & poſtmodūm dedit viro ſuo Adam. Et vel ideò S. Hieronymus ſuper illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit*, per illum hominem intelligit Evam: conſequenter Adamo non peccante, nihilominus peccatum intrâſſet in mun-dum.

Confirmatur: Præceptum illud de non comedendo fructu non obligavit ſolum Adamum, ſed & Evam ex textu clarissimo Scripturæ Genes. 3. v. 3. ubi Eva ſerpenti dixit præceptum DEI: *de fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradisi, præcepit nobis DEUS, ne comederemus, & ne tangere-mus illud, ne forte moriamur.* Ergò ſive ille, ſive hæc co-medifſet, fuifſet mortua, & mortem in posteros trans-fu-

fudisset. Dein Eva, antequam Adam consensit, & co-medit, jam erat privata justitiâ Originali: ergo etiam de-scendentes ex illa fuissent privati, consequenter transmis-sisset peccatum in posteros.

21 Respondeo ad argumentum explicando Ecclesiasti-cum *cit. loc.* quod aliud non voluerit insinuare, quam-quod mulier occasionem dederit peccati illius in Ada-mo per hoc, quod tulerit de fructu arboris, comedenter, dederitque viro suo, *qui comedit juxta cit. num.* ubi amplius hoc totum explicamus, imo ut memini, juxta hunc mo-dum dicendi, peccatum illud primariò refundendum es-set in diabolum, mediante serpente decipientem, & men-tientem; sed quia DEUS nec diabolo, nec Evæ sed Ada-mo tanquam Capiti posteritatis alligavit nostras volunta-tes, in ipsum tanquam causam tota humani generis ma-cula refertur.

Sanctus Hieronymus intelligendus est in sensu ex-plicato, scilicet *occasionaliter*, quod mulier occasionem de-derit Adamo comedendi de fructu vetito, principalis au-teim appellatio cadat supra Adamum; hinc ad Confirmationem Respondeo sub distinctione, quod quidem præceptum affecerit utramque personam, unam tamen prin-cipaliter tanquam Caput, Evam vero secundariò, ita ut solius ipsius peccatum non transiisset in posteros, sed so-lam mulierem infecisset. Ad illud *deinde* dico, Evam qui-dem comedendo amisisse justitiam originalem, sed sine præjudicio nostro, ubi Medina celebris, & ex antiquis Thomista ait, cavendum esse errorem alicujus, ut ipse loquitur hic *quest. 81. a. t. s.* stulti Concionatoris, qui, ut hanc de Eva difficultatem evitaret, asseruit, Evam solùm peccasse venialiter: *Hic error, addit, est hereticus, & con-tra Scripturam Et c.* similes errores sàpè committunt Con-cionatores, qui non sunt Theologi, nec Scripturam at-ten-

tendunt; si enim peccatum fuisse tantum veniale, cur DEUS illam maledictione tam gravi increpavit?

Ex his colliges, quod si primo parente non peccante peccasset Cain, justitiam Originalem quidem amisisset, non tamen peccatum transfusurus fuisse ex rationibus antea allegatis, scilicet quod solum peccatum primi parentis juxta Scripturam, & Concilia transierit in posteros, pro quo tamen velut moraliter certum supponunt aliqui cum Medina *cit. loc.* quod, si Adam non peccasset in illa temptatione, sed perseverasset in observantia pracepti Divini, statim fuisse confirmatus in gratia, ita quidem, ut beneficio illo tota generis humani propago fuisse potita, estque alias hic communis sensus fidelium, Adam, sicut modò peccando propagavit peccatum in totam propaginem, ita justitiam illam Originalem propagatum fuisse in posteros, si non peccasset. Sed haec opinio Medinæ est expressè contra S. Thomam, quam vel ideò suprà num. 66. in *Respons. 2.* rejecimus. Quæri etiam hic sollet, an per aliud peccatum grave primi parentes amisissent justitiam Originalem, illiusque privationem propagassent in posteros, exemplum hujus communiter datur in casu, quo primi parentes carnaliter convenissent?

Respondeo, de hoc nihil constare ex Scriptura, ve
Conciliis, & vel ideò nihil certi asserendum esse, præser-
tim cum Scriptura de alio peccato non loquatur nisi de
comestione fructus illius prohibiti: & insistendo præcile rationi, non videtur, cur ille congressus carnalis fuisse peccatum destruens justitiam Originalem, cum Adamus ex ipsa assignatione Divina sortitus fuerit jus in corpus Evæ, & vicissim, unde ergo peccatum? nisi gratis asseratur, esse peccatum in usu juris sui: & ipse S. Thomas docet, quod in statu innocentiae fuisse generatio, quæ utique peccatum non fuisse, quomodo ergo dici potest, peccatum esse

R

esse

esse convenisse carnaliter ante comedionem fructus venti? Dices fortè, illam conventionem carnalem ideò futuram fuisse peccatum grave, quia commissam in illo statu, ubi appetitus inferior, præfertim carnalis, pleæ fuit subjectus rationi, & illa DEO, consequenter illum appetitum prorsus inordinatum &c.

Respondeo, & eâdem fiduciâ dico, appetitum illum ex se non esse inordinatum, quia fuisset in ordine ad propagationem speciei, sicuti juxta S.Thom. & communem Thomistarum, si durâssest status innocentiae, fuisset generatio innocens, licet sine appetitu sensuali fieri non posset; sicuti ergo ibi nec appetitus, nec generatio fuisset peccatum, ita nec fuisset ante comedionem pominoxialis, quia in illo signo antecedente fuisset status innocentiae. Plura de hoc diximus suprà à num. 64. ex SS. Augustino, & Thoma.

22 Cæterum illud, quod Medinæ tribuitur de confirmatione in gratia, non est moraliter certum, quidquid aliqui RR. dicant, & pro se S. Anselmum allegent in libro cur DEUS homo dicentem: *Videtur, quod si primi parentes sic vixissent, ut tentati non peccasset, ita confirmarentur cum omni propagine sua, ut ultrà peccare non possent;* nam S. Thom. I. part. quest. 100. art. 2. hunc ipsum Anselmi textum contra se adducit, & ad 2. respondet ibi: *dicendum, quod Anselmus hoc non dicit afferendo, sed opinando, quod patet ex ipso modo loquendi, cum dicit VIDETUR, quod si vixissent &c.* insuper S. Thom. cit. loco in Corp. ait, quod creatura rationalis in justitia confirmetur, quando fit beata per apertam DEI visionem; tunc autem Adamus, & posteri, si temptationem vicissent, non statim habuissent visionem DEI apertam: ergo saltem juxta S. Thomâ non fuissent in gratia confirmati, & hoc ait ibi S. Doct. procedere secundum legem communem; quia, addit: *ex aliquo pri-*

privilegio speciali secus accidere potest, sicut creditur de Virgine Matre DEI. An autem tale privilegium speciale sortitus fuisset Adamus cum suis posteris, Scriptura non dicit: est ergo pro affirmativa ratio prorsus conjecturalis. Quod autem moralis certitudo de confirmatione in gratia non habeatur, patet ex ipsa S. Anselmi, & S. Thom. discrepantia, dum primus dicit solum videtur, & alter etiam in principio Corporis ait, quod non videtur possibile, quod pueri in statu innocentiae nascerentur in justitia confirmati: uterque ergo tantum opinatur, neuter asserit; evadit ergo utriusque Sententia ad summum probabilis.

QUÆSTIO II.

De Quidditate, & Subjecto Peccati Originalis &c.

Quoad ista non tantum inter Hæreticos, & Catholicos multa contentio est, sed & Catholici inter se divisi sunt, dum aliqui peccatum originale in positiva quadam qualitate, ut de peccato habituali diximus, vel in modo quodam animæ superaddito collocant, alii in nuda privatione justitiae originalis, connotante tamen actum in Adamo præteritum, quæ ut magis appareant, sit

ARTICULUS I.

In quo consistat essentia peccati Originalis?

Licet jam passim aliqua dixerimus, an, & quid Originale peccatum sit? Quia tamen illa prima vix ritè tractari possunt, nisi aliqua tangantur de hac quidditate,
R. 2

te, illa consultò fuerunt præmissa, ut hæc secutra faciliùs capiantur, pro quibus priùs rejiciendi sunt errores hæreticorum, inter quos enormis est Origenis, qui aliàs inter PP. præcipuos Doctor, & interpres Scripturæ magni nominis, hic tamen turpiter lapsus est, docendo, peccatum Originale consistere in aliquo habituali relictō, quod anima parvuli commiserit ante conjunctionem cum corpore. Supponit autem hic Author pro tali assertione alium errorem à se confictum, quòd scilicet omnes animæ rationales cum Angelis creatæ fuerint, consequenter à principio operari cœperint, si benè, tunc gratiâ ornatæ, si malè, peccatô infectæ. Cui fabulæ occasionem dedisse videtur opinio quorundam Philosophorum, animas in concavo Lunæ ante conjunctionem cum corpore ponentium, vel unam universalem cum Platone, quam aliæ participarent. Sed hæc cum aliis Origenis erroribus ab Ecclesia, & SS. PP. dudum proscripta sunt.

Non multùm ab hoc errore remoti sunt Pelagiani, quos Noviores hæretici cum Melanchtöne secuti sunt, docentes, peccatum originale esse proprium ipsorum parvolorum, quod in primo conceptionis instanti, scilicet conjunctionis animæ cum corpore admittunt, ideoque dici originale, quod statim in origine commissum sit. Quod sicut est apprimè hæreticum, ita absurdè stolidum; Quomodò enim peccare potuerunt nondum rationis usum habentes, qui tamen ad peccatum, & quidem grave necessariò requiritur? Deinde peccatum est essentialiter contra aliquam legem, qualē autem legem prævaricati sunt, cùm nihil ex Scriptura constet? credo, etiam ipsos hæreticos ignorare, quale præceptum transgressi sint ipsi, dum nondum potuerunt distinguere inter bonum, & malum.

De-

Denique omissis aliis Mathias Illyricus inter Noviores cum suis tenet, Originale nihil esse animæ superaditum, sed ipsam ejus substantiam, quæ, cum fuerit antea imago DEI, per peccatum facta sit imago diaboli, & sic juxta ipsum substantia animæ primitùs producta transit in aliam, quod est contra Scripturam ; quis autem hanc transubstantiationem fecit ? non DEUS, alias esset causa malorum, neque diabolus ; quia vires ipsius superat, sicut etiam substantiam creare non potest, ita nec unam in alteram convertere, nisi cum Manichæis admetat, DEUM bonorum, qui verus est DEUS, & DEUM malorum, qui est diabolus, quam insaniam dudum S. Augustinus ostendit & expugnat. Hic error desumptus est, juxta dicta superiùs ex sinistra Scripturæ intellectio-ne, præsertim Apostoli saepius mentionem facientis de homine veteri, & novo, quod, cum accipiendum sit in sensu *morali*, iste accepit in sensu *physico*, qui error est omnino insanus, quod ex illo Apostoli patet : *exuite vos hominem veterem, & induite novum, qui secundum DEUM creatus est*, quasi verò possimus nos ipsos in alterum hominem transformare, si Apostolus loqueretur physicè. Etiam, dum ait, *destruatur corpus peccati*, possemus nos ipsos destruere, quod contra omnem rationem pugnat.

Dicendum est: Peccatum Originale essentialiter for-²⁴ maliter consistit in privatione justitiæ Originalis, id est, gratiæ illius primæ. Est communis Catholicorum, quæ probabilior redditur ab Authoritate S. Thomæ, & Scoti, Suarezii, & Vasquezii ; quia hi quatuor, ut jam alibi notavi, alias fermè semper oppositi, hic convenient, ut vel ideo magna sit pro veritate hujus Sententiæ præsumptio ; nec obest, quod Doctor Subtilis privationem ponat in voluntate, S. Thomas in anima ; nam hoc ad præsentem Quæstionem non pertinet, modò ratio formalis

in Originali ponatur in privatione essentialiter, quod facit. Scotus in 2. Sentent. dist. 30. quest. 2. postquam argumenta opposita adduxisset, concludit: *Peccatum Originale non potest aliud esse, quam ista priuatio*, quod dein probat rejiciendo aliorum opiniones. De S. Thoma statim agemus. Interim

Probatur Conclusio I. *Peccatum Originale juxta Tridentinum cit. loc. per baptismum primò, & per se tollitur*: ergò formaliter consistit in privatione. Consequentia probatur: in tantùm per Baptismum peccatum Originale tollitur, in quantum per illum confertur gratia sanctificans: sed gratia aliud non tollit, nisi privationem sui: ergò si Originale per Baptismum tollitur, formaliter consistit in privatione gratiæ. Maj. suppono de fide certam. Min. declaratur: per peccatum Originale homo est aversus à DEO; illa autem aversio à DEO formaliter nihil est aliud, quam carentia conversionis ad DEUM; sicut gratia est forma hominem convertens ad DEUM.

Probatur II. *Peccatum Originale secundùm idem Tridentinum cit. est mors animæ: sed mors animæ formaliter nihil est aliud, quam carentia gratiæ, & charitatis: ergò formaliter consistit in privatione.*

Confirmatur: Sicut per peccatum Originale omnes sunt mortui in Adamo, ita in Baptismo omnes vivificantur in Christo: ergò sicut modò omnes vivificantur per gratiam baptismi, ita ibi mortui sunt per amissionem gratiæ Originalis, seu privationem, cui gratia privative opponitur, quod totum colligitur ex citato Decreto Tridentini.

25. Diximus autem in Conclusione, Originale essentia-liter, & formaliter consistere in privatione, quam scilicet primariò importat; quia justitia Originalis non solùm-

di-

dicit gratiam sanctificantem, qua anima subditur DEO, sed alia etiam dona, scilicet subjectionem hominis inferioris ad superiorem, & partis sensitivæ ad voluntatem, corporis ad animam &c. non est ergo intelligendum, Originale dicere privationem justitiae Originalis, prout hos omnes effectus importat, alias hoc peccatum non plenè dederetur in Baptismo; nec enim per illum restituitur illa subiectio, quæ est partis inferioris ad superiorem, sensitivæ ad voluntatem, dum post Baptismi gratiam manet fomes peccati, & rebellio partis inferioris ad superiorem, qui sunt effectus à peccato actuali relicti; solum ergo privatio justitiae, quantum ad primum effectum tanquam primarium, pertinet ad essentiam peccati originalis, privatio autem aliarum perfectionum pertinet ad rationem poenæ adhuc post baptismum remanentis. Ratio hujus est, quod solus ille effectus gratiae sit necessarius, qui hominem verè subdit DEO, & ad finem ultimum convertit, DEUMque inter, & hominem amicitiam conservat, alii vero effectus sint ad modum proprietatum, vel potius ad ornamentum illius primi, & felicissimi statûs. De privatione sic explicata intelligendus est S. Anselmus, quem etiam Scotus *cit. loc.* pro se adducit in *lib. de peccat. Orig.* dicens: *Originale peccatum esse privationem Originalis justitie.* In hoc sensu etiam loquitur S. Thomas, quidquid Godoy moliatur, ut Sanctum illum in suas partes traducat contra communiores Thomistarum, cui certè S. Doct. favet.

Author iste conformiter ad ea, quæ docuit priùs de peccato habituali, ait hic *disp. 36. §. 9.* Peccatum Originale nostrum consistere in positivo termino *morali* ex actuali transgressione Adami, prout fuit nostra, relicto, quo constituumur positivè legi difformes, realiter aversi à DEO, & conversi ad Creaturam.

Manc

Hanc suam opinionem, quam nos pro objectione assumimus, probat primò ex S. Th. h̄ic quest. 85. art. 5. ubi S. Doct. ait: *Subtractio autem Originalis justitiae babet rationem pœnae, sicut etiam subtractio gratiae.* Si fortè diceres, privationem illam sub diverso respectu esse culpam & poenam, uti de peccato habituali diximus.

Instat ex quest. 87. art. 7. S. Doct. in Corp. ibi enim clariùs loquitur sic: „principaliter quidem poena originalis „peccati est, quod natura humana sibi relinquitur, destituta „auxiliō Originalis justitiae, & ad hoc consequuntur omnes „poenalitates, quae ex defectu naturæ hominibus continentur. Idem dicit S. Thomas 2. 2. quest. 164. art. 1. ad 4. in 2. Sent. quest. 33. questiuncula 2. art. 1. ad 2. ac passim alibi, præfertim quest. 5. de malo. art. 1. in Corp. quibus in locis semper repetit privationem gratiae non esse culpam, sed poenam: item ultimò loco concludit: *Et ideo conveniens poena peccati originalis est subtractio gratiae, Et per consequens visionis Divinae, ad quam homo per gratiam DEI ordinatur.* Propter hos textus Author iste præfidenter addit: hoc argumentum malè torquet Authores contrarios, & ideo variè respondent. Sed profectò hæc omnia solvi possunt ex dictis de peccato habituali, ad quod proportionaliter explicatur originale.

27 Respondeo Authoritates adductas ex S. Thoma non probare intentum Adversarii; & ideo sustinemus respondionem ad primum textum, quæ pariter servit ad aliorum solutionem. Sub quo autem sensu privatio sit poena, & macula, explicat S. Thomas quest. 4. de malo, à nobis suprà relatus, & infrà referendus, ubi rem clarissimè explicat, nec id tantum ibi, sed etiam h̄ic 1. 2. quest. 82. art. 3. in Corp. postquam explicavit, in quo sensu originale sit concupiscentia, & in quo non, infert: *Sic ergo privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur DEO,* NB.

eff

*est formale in peccato Originali; omnis autem alia inordinatio vi-
rium anime se babet in peccato originali, sicut quoddam materia-
le.* Illam autem inordinationem præcipue ponit S. Thom.
in hoc, quod vires inordinatae convertuntur ad bonum
commutabile, quæ, ait, inordinatio communis nomine
dicitur concupiscentia. Dein in fine concludit: *Et ita pec-
catum Originale materialiter quidem est concupiscentia, forma-
ter vero est defectus justitiae Originalis.* Per defectum autem
S. Doct. semper intelligit privationem gratiæ, ut statim
ibi art. 4. repetit, & exinde probat, quod peccatum origi-
nale in omnibus sit æquale; quia defectus justitiae origi-
nalis, & illius ad primum Adæ peccatum relatio est in
omnibus æqualis. Ratio ex parte defectus tanquam pri-
vationis est: *quia totum donum originalis justitiae est sublatum:*
*privationes autem totaliter aliquid tollentes, ut mors, & tene-
brae non recipiunt magis, & minus.* Ubi utique clarè dicit,
defectum illum esse privationem. Ratio est de relatio-
ne, quam dicta privatio involvit, quod, sicut est æqualis
defectus, seu privatio justitiae, ita æqualiter omnes rela-
tionem habent ad primum principium vitiarum originis,
ex quo peccatum originale recepit rationem culpe: rela-
tiones enim non respiciunt magis, & minus. Clarè etiam
hoc dicit S. Doct. hac ipsa quest. art. 2. ubi probat in uno
homine unum esse peccatum Originale, & in Corpore, ubi
in ægritudine corporali plures ægritudines admittit pro-
pter diversas causas, scilicet propter abundantiam calidi,
aut frigidi, læsionem pulmonis, aut hepatis &c. Dispa-
ritatem inter ægritudinem corporalem, & peccatum ori-
ginale assignat ex unitate causæ dicens: *Causa autem hujus
corruptæ dispositionis, quæ dicitur originale peccatum, est una tan-
tum, scilicet privatio originalis justitiae, per quam sublata est sub-
iectio humanæ mentis ad DEUM,* & ideo peccatum originale est
unum specie. Hæc & plura alia S. Thomas in SUMMA,
S ubi

ubi ex professio hanc materiam examinat, & in omnibus originale constituit essentialiter in privatione justitiae originalis; opposuit ergo se Godoy communi Sententiae ex prurigine disputandi propter textus inadæquatos. nam

Respondeo universim, verum esse, quod peccatum Originale in eo sensu sit poena, quatenus DEO præbuit occasionem, Adamo subtrahendi justitiam Originalem, & in illo nobis, sit tamen formaliter culpa in nobis, quatenus ex peccato Adami, cuius voluntate nos vi pacti adhaesimus, redundavit, ut ipse S. Thomas in citatis etiam ab Adversario locis, & præsertim hic in SUMMA docet, nullibi autem dicit, peccatum Originale consistere in termino positivo morali, cuius causa assignari non potest.

28 Quæres I. An, si aliquis ex humana carne miraculose formaretur, contraheret peccatum originale? pro quo suppono tanquam certum, quod si DEUS de facto, ut posset, hominem aliquem conderet ex lapide, ut olim Adam ex limo, & Evam ex costa procreavit, talis neutinquam contracturus esset peccatum originale, quia non descendenter via generationis, & ex semine infecto, quod ad transfusionem peccati originalis requiritur. Quoad Questionem pro affirmativa potest esse ratio I. in lumbris Adami fuit tota posteritas corrupta: ergo etiam omnis caro humana, consequenter infecta peccato originali.

Secundò: si quis nasceretur ex concubitu diabolis applicantis semen verum, decisum ab homine, contraheret peccatum originale, cum semen illud fuit ordinatum ad generationem: ergo etiam si formaretur ex carne humana.

Ter-

Tertiò: ideo peccatum originale ab Adamo descendit in omnes; quia omnes in eo peccante fuerunt: sed & ille, ex cuius carne formaretur alius, in Adamo fuisset: ergò peccatum originale contraheret.

Respondeo tamen negativè ad mentem S. Thom. hic quest. 81. art. 4. Ratio est; quia peccatum originale in tantum descendit in posteros, in quantum ab ipso immediate per viam generationis naturalis procedit: sed talis non procederet ab ipso per viam generationis: ergò non contraheret peccatum originale.

Ad I. Respondeo, quod quidem natura corrupta sit in Adamo, non tamen illa corruptio transeat in posteros nisi per generationem; qualis non est in hoc casu miraculoso, à quacunque demum causa talis homo procederet instrumentaliter, anima certè fieret à solo DEO creante, ad creationem autem animæ nulla creatura etiam instrumentaliter assimi potest, ut modò ex Philosophia, saltem Thomistica, suppono.

Dices, Originale causari in nobis, quatenus anima inficitur ex carne; cum ergò caro sit infecta, etiam inficeret animam. Respondeo, jam dictum esse, hanc corruptionem per solam generationem transire in posteros &c. idem respondet S. Thomas cit. loc. ad 2. ex quo Adversarius objectionem desumptissime videtur.

Ad II. Respondeo, transeat antec. nego consequiam. Disparitas est, quod semen sit ex natura sua ordinatum ad generationem hominis, per quod sic propagatio peccati originalis; est autem per accidens, quod a diabolo applicetur, qui infantem exinde natum non reddit suum, sed filium illius, cuius est semen, ut supra ex S. D. diximus de doemone incubo.

Ad III. Respondeo, non sufficere, fuisse moraliter in Adamo, nisi etiam quis per seminalem propagacionem ab illo mediately procedat. Ita fermè S. Thomas ad 3. ibi loquitur.

ARTICULUS II.

Quomodo Peccatum Originale propagetur ad posteros?

De hac Quæstione quoad hanc rem ipsam jam diximus suprà, sed de via, & medio nunc est quæstio. In qua materia singularis, & turpis est error Tertulliani, viri aliàs præstantissimi, qui teste S. Augustino *lib. de Hæresibus* apud Prateolum *lib. 18. Hæresim* docuit, animam quidem immortalem esse, sed corpoream, hoc est, animam filii fieri per animam Patris, sicut corpus ex corpore propagatur, & ita peccatum originale propagari: Sicut anima Adami peccato jam infecta genuit animas Cain, & Abel, ita illorum animæ generunt alias, & filiæ iterum alias successivè usque ad nos. Qui error ab illius temporis Patribus fuit rejectus tanquam fidei repugnans, & posteà damnatus à Conciliis, creationem animæ soli DÈO attribuentibus.

Salmantenses hic docent, quòd Originale peccatum physicè traducatur in posteros per Adamum tanquam causam principalem, & per semen tanquam causam instrumentalem, quæ Sententia videtur conformis S. Thomæ hic *quæst. 83. art. 1. in Corp.* ubi clarè dicit: *Peccatum Originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adamo sicut in prima causa principali, in semine autem corporali est peccatum originale, sicut in causa instrumentalis, eò quòd per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana.* Nihilominùs alii Thomistæ valde com-

communiter docent, peccatum originale transfundi in posteros per semen, quatenus est privatum illo vigore, vi cuius Adamo non peccante probabiliter produxisset instrumentaliter in posteris gratiam, quatenus à DEO fuisse elevatum supernaturaliter ad hunc effectum attingendum.

Recentiores aliqui tenent, transmutationem peccati, ut suprà & nos diximus; ex eo contingere, quod generatio fiat virtute seminis *mediata* ab Adamo decisi, ita tamen ut generatio se solum habeat per modum conditionis, sine qua non contraheretur Originale.

Hæc Sententia quidem clare explicat traductionem peccati originalis, quia sat sibi exprimit, quod S. Scriptura, & Concilia, præsertim Tridentinum de Originali continent, neminem scilicet nasciturum fore peccatorem, nisi via ordinaria ab Adamo descenderit; nihil autem vel Concilia, vel Scriptura dicunt de physica illa, & instrumentalí propagatione per semen, ac si illud peccatum originale physice produceret, quod vel ex eo admitti necesse non est; nam ubi effectus non est physicus, vel ens positivum, non requiritur causalitas physica: sed peccatum formaliter spectatum non est effectus physicus, vel ens positivum: ergo ad illud non requiritur causalitas physica. Major. Suppono ex Philosophia in eo sensu, quod scilicet per se non requiratur influxus physicus, terminatus ad id, quod non est physicum, vel positivum; nam per accidentem posset non ens attingi impropriè per actionem physicam, puta, si quis auferret lucem, ad cujus actionem adessent tenebrae, ubi hæc saltem in forma opposita impropriè attingerentur, & indirectè. min. autem est communis fermè omnium, exceptò Godoy, & aliquibus Modistis, & tamen Godoy hic *disp. 35. §. 3. num. 16.* ad finem ex Cajetano persuadere conatur, quod nec in Sen-

tentia S. Thomæ semen concurrat instrumentaliter physicè ad traductionem culpæ Originalis, sed tantum concomitanter, quatenus attingit physicè naturam, in qua ob peccatum Adami consequitur culpa Originalis; quo ergò modo, & medio apud hunc Authorem producitur ille terminus positivus moralis, vi cuius reddimur positivè legi difformes, realiter aversi à DEO? Certè non potest assignari causa illius positivi, nisi generans ut causa principalis, & semen ut causa instrumentalis assignetur.

Respondeo ad Questionem pro salvanda Authoritate S. Thomæ, peccatum originale propagari physicè in posteros mediante semine tanquam medio instrumentalis. Pro quo tamen notandum est ex Philosophia de generatione unius hominis respectu alterius, hominem generantem dici, & esse causam principalem physicam, & semen esse causam instrumentalem physicam, quæ in virtute cause principalis fibi conjunctæ operatur, ita ut semen sit instrumentum ut quod, & ejus virtus habeat se ut quo. Jam

Probatur Responsio: primus ille post Adamum homo fuit physicè productus ab Adamo tanquam causa principali, mediante semine tanquam causa instrumentalis: ergò & ille homo, quem primus post Adam produxit, ita processit, & sic ulterius ab uno ad alterius generatione facta est: jam assumo: sed generationem illam sequitur peccatum originale: ergò originale in hoc sensu fuit physicè propagatum, quatenus generationi illi semper in unione animæ cum corpore conjuncta erat privatio justitiae Originalis, nisi per infusionem gratiæ statim in principio illius conjunctionis fuerit impedita, ut omnes contendunt, qui debitum proximum in B. Virgine admicunt, ita illam præservatam esse ab originali, impediente DEO illam privationem per collationem gratiæ sanctissi-

can-

cantis. Non autem intelligo illam propagationem physicam sic, ac si generans mediante semine ipsum Originale physica causalitate attingeret, cuius est incapax juxta prius dicta, cum sit aliquid privativum; ad summum ergo indirecte illud privativum attingitur, sicut diximus de tenebris; & ita intelligendus est S. Thomas cit. art. 1. ubi per totum *corpus* nihil aliud dicit quam processionem illam physicam generationis: immo cit. loc. id principaliter, & per se querit, utrum originale sit magis in carne, quam in anima? & resolvit, quod sit in anima magis. In ordine ad quod loquitur illud in textu supra adducto, quod solum respectu humanæ naturæ communicatæ sit aliquid physicum, non respectu ipsius peccati originalis directe. Dein ad 4. ubi objectioni cuidam de inquisitione corporis, cui anima infunditur, ac si DEUS non sapienter ageret infundendo animam corpori vitiato, per quod suò modò fieret causa peccati originalis, respondet sic: *Dicendum, quod infectio originalis peccati nullo modo causatur à DEO, sed à solo peccato primi parentis: sed infusio animæ importat respectum, et ad DEUM, et ad carnem, cui infunditur anima, et ideo habito respectu ad DEUM infudentem non potest dici, quod anima per infusionem maculatur, sed solum habito respectu ad corpus, cui infunditur.* Ex quo habemus clarè, quod solum physica illa propagatio sit maculosa quoad corpus, proin id solum attingat physicè, cui subinde DEUS propter maculam ex peccato primi parentis proveniente infundit animam gratiâ privatam, cui primò per Baptismum postea confertur: & sic originale sicut habito respectu ad peccatum Adami, habet rationem culpæ, ita respectu DEI habet rationem poenæ, per quod iterum infirmatur argumentum Godoy, in peccato Originali solam rationem poenæ contra S. Thomam adducens.

Per

30 Per haec tenus dicta rejicitur etiam opinio quorundam Authorum, inter quos etiam refertur Magister Soto, sed immerito, quia teste Godoy hic longè aliter docuit, propagationem peccati originalis ex eo admittentium, quod Adam fuerit caput physicum etiam nullo intercedente pacto, & sicut naturam in posteros transuderit, ita & peccatum originale, quod Saniores Theologi tanquam fabulosum contemnunt, utpote contra Scripturam, & Concilia, quæ tale pactum, seu decretum, supponunt; dein si sufficeret ad derivationem originalis, quod Adamus fuerit caput tantum physicum, tot peccata originalia contraherentur, quot actualia in Adamo processerint; quia si ut caput physicum derivasset unum, propagasset & alia ex ipsa capitum physici ratione, quod tamen nemo admittit; quia Scripturæ, Conciliis, & SS. PP. contrarium, in terminis S. Thomæ hic *quest. 82. art. 2.* solùm unum in homine peccatum originale admittenti. Et si Adamus merè ut caput physicum transmisit peccatum in posteros, cur parentes immediati non etiam sua peccata transfundunt in liberos, cum tamen vi generationis sint caput physicum immediatum, & Adamus solùm remotum: hoc posterius est falso: ergo & illud prius de Adamo; requiritur ergo necessariò, ut Adamus sit & caput morale omnium vi pacti, vel ordinationis specialis, naturæ superadditæ.

ARTICULUS III.

De Subjecto Peccati Originalis.

31 **H**ic agimus potissimum de subjecto remoto peccati originalis, scilicet de creatura rationali; hæc enim inter alias inferiores est sola libera, & moraliter defectibilis, & sic est subjectum ut quod, sicut anima est imm.

immediatum ut quo respectivè ad suppositum; ita communis cum S. Thoma, exceptò Scotò, qui, ut diximus supra, Originale ponit in voluntate, & consequenter ad suam doctrinam; nam sicut gratiam collocat in voluntate tanquam immedio subiecto, ita ejus privationem, in qua Originale formaliter, & primariò consistit: econtra S. Thomas sicut gratiam immediatè ponit in anima, ita & ejus privationem. Hoc tamen hic *quest. 83. art. 3.* admittit, quòd peccatum originale priùs inficiat voluntatem, quam cæteras potentias, quatenùs consideratur, ut dicit inclinationem ad actum. *Oportet ergo, infert in Corp. ad finem, quòd illam per prius respiciat, quæ primam inclinacionem babet ad peccandum, hæc autem est voluntas.* Et ad secundum ibi differentiam ostendit inter voluntatem, & alias potentias: quamvis aliæ potentiaz, scilicet sensitivæ, propinquiores sint carni, quia tamen voluntas est propinquior essentiæ animæ, tanquam potentia superior, primo provenit ad ipsam infectio Originalis peccati. Quo supposito consurgit dubium, an peccatum originale in omnes omnino homines transierit?

Conclusio S. Thomæ hic *quest. 81. art. 3.* videtur universalis ex textu illo Rom. 5. *Mors in omnes pertransit, & in Corp. ait, quòd secundum fidem Catholicam firmiter sit tenendum, omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivatos peccatum originale contrahere, quod videtur præjudicium Beatæ Virginis. Quoad Christum notandum est illorum pro Virgine studium, qui, ut probent immunitatem ejus à culpa originali, deducunt ad aliquam inconvenientiam, quòd nempè, si illa contraxisset culpam, Christus eam etiam participâisset; quia ex Matre taliter infecta oriri non posset filius à peccato immunis. Contra quod*

T

Di-

33. Dico I. Hoc argumentum esse prorsus inefficax. Ratio est I. quia licet B. Virgo peccato originali fuisset infecta, non tamen Christo quidquam maculæ accessisset; ergò ratio illa nihil evincit pro B. Virgine. Prob. ant. illi ordinariè, præscindendo à speciali privilegio, contrahunt originale, qui descendunt ab Adamo per propagationem seminalem: sed Christus non descendit per propagationem seminalem (fuit enim Corpusculum ipsius virtute Spiritus Sancti formatum ex purissimo Sanguine B. Virginis) ergò vel hoc ipso non contraxisset, vel contrahere potuisset originale, cum in illa Adami voluntate nunquam fuerit. Major. suppono certam ex sàpè ditis anteà, min. est de fide.

Ratio II. Datò, non concessò, quòd B. Virgo fuisset infecta peccato originali, nec tamen Christus contraxisset: ergò illa ratio est inefficax. Prob. sequel. antec. in illo ipso instanti reali, in quo formata est tota humanitas Christi ex Sanguine B. Virginis, fuit unita naturæ, & suppositalitatì Divinæ, & substantialiter, & accidentaliter per gratiam fuit Sanctificata: ergò pro nullo instanti esse potuit privata gratiâ, & sic infecta peccato originali. Discursus ex materia de Incarnatione est certus, quia una realiter actione, virtualiter tamen, & terminativè multiplice formatum est Corpusculum Christi, creata fuit, & infusa anima, ac terminata intrinsecè subsistentiâ Divinâ secum afferente & Sanctitatem substantialem, & accidentalem per gratiam Sanctificantem.

Nec dicas in casu, quo B. Virgo fuisset infecta Originali, saltem naturam humanam Christi non posse eximi à debito illud contrahendi: sed hoc iterum est inconveniens: ergò ratio illorum, qui ideo immaculatam Virginis Conceptionem defendunt, ut labem saltem radicalem seu in debito à Christo avertant, firma consistit. Maj. prob.

prob. unio Verbi cum humanitate solum excludit peccatum pro instanti Incarnationis, cum qua incompossibile est omne peccatum, sive actuale, seu originale, debitum autem illud instans antecessit: ergo licet excludatur originale quoad actualem contractionem, non tamen quoad debitum, quod tamen est indignum Christo.

Respondeo negando Maj. absolutè; neque enim peccatum originale, neque ejus contrahendi debitum potuit afficere humanitatem, nisi prius intelligatur subsistere in supposito alio, quod esset capax talis peccati, vel debiti; quia res quævis debet prius intelligi in esse suo completa, antequam denominationem accidentalem accipiat: Certum est autem de fide, quod humanitas ante unionem non existiterit subsistentia quadam creata; sed Divinam acceperit à Verbo in primo Incarnationis instanti: & ideo, cùm appellatio fiat super suppositum, quod incapax est, repugnat in Christo, sicut humanitas Christi, quamvis gratia sanctificante esset ornata, non tamen capax fuit filiationis adoptivæ, quia illa appellat super suppositum; cùm autem suppositum Divinum sit Filius DEI naturalis respectu Patris, excludit filiationem adoptivam, quidquid aliqui Recentiores dicant, certa tamen est Sententia in Schola Thomistica.

Addunt hic Salmantenses tract. 13. disp. in Commentario, necessarium non esse, excludere ab humanitate Christi contractionem originalis peccati radicalem, seu in debito; quia posset de lege absoluta fieri, quod aliqua natura seminaliter ab Adamo procedens assumeretur à Verbo Divino, non solum post contractionem radicalem, sed etiam post contractionem actualem, & formalem, quam habuisset in propria subsistentia. Quod verò defacto humanitas sit assumpta à Verbo, omnis debit etiam

remoti expers, ex eo est, quod non ex semine viri, sed ex Sanguine Virginis immaculato processerit.

Sed haec licet respiciendo praesertim Omnipotentiam Divinam admitti possint, cum revera assumi possit quævis natura completa, ut Theologi in materia de Incarnatione communiter admittunt, si tamen considerentur alia attributa, & in hoc casu Sanctitas, & puritas DEI, videtur aliqualis implicantia, ut Verbum assumat aliquam naturam, quæ ante in propria subsistentia fuisset obnoxia peccato originali, ut etiam notavi in tract. de Incarnatione part. I. num. 82. quod licet Omnipotentiæ non repugnet assumere quamvis naturam, seu terminare, videatur tamen esse contra infinitam dignitatem DEI propter denominationes emersuras, DEO indignas, quid enim si terminaret naturam bovis, aut cervi (ut taceam alia multo turpiora) quam absurdum sequeretur appellatio? ab his proin, & similibus Quæstionibus potius abstrahendum est.

¶4. Dico II. Peccatum Adami non transiisse in B. Virg. MARIAM, id est, eam non fuisse unquam Maculâ Originali infectam, hucusque explicatâ. Pro quo autem

Distinguenda est duplex conceptio, una est & prima, quæ sit in actuali usu matrimonii, ubi via generationis seminalis aliquid ponitur in utero Matris, quæ positio vocatur conceptio prima: altera, & ad quæstionem pertinens est, quando positis sufficienter dispositiōnibūs, & organizatione perfectè absolutâ anima corpusculo infunditur; jam sicut omnium aliorum ex Adamo descendentium conjunctio animæ cum corpore fit ita, ut anima sit privata gratiâ, ita per speciale privilegium anima B.V. MARIE fuit infusa corpori ut gratia Sanctificante ornata ex meritis Christi, suam Matrem præservantis ab actuali, quæ per privationem contigisset, infectione-

Actione. Hæc est pia illa Sententia, quam defendimus modò cum aliis Doctoribus Catholicis, quibus non obscurè faverit SS. PP. nec tamen nostram assertionem de fide certam dicimus.

Unde falsum est, quod Catholicis Joannes Pomernus unus ex primis Lutheri sequacibus imponit, qui apud Bellarminum in Comentario in 1. cap. Et 44. *Jeremie* scribere non erubuit, apud Catholicos pro articulo fidei teneri, B. Virginem sine ullo prorsus peccato fuisse, imò quod auget 'impudens mendacium, eam conceptam esse de Spiritu Sancto, quæ apertissima calumnia à Trident. cit. *Decret.* & à Pontificibus confixa est. Imò cautum est sapientissimè, ne, qui Conceptionem Immaculatam in nostro statu quæstionis propugnant, contrariam Sententiam censuris afficiant, ut constat ex Trid. nolente habere quæstionem de B. Virgine, dum agit de peccato originali; qua fronte ergò asseritur, conceptionē iñmaculatam apud Catholicos esse de fide, cùm Concilium non agat de hoc, & Pontifices in suis Decretis addant: *Donec aliter à Sede Apostolica definitum fuerit*: definiri necesse est, ut aliquid de fide sit. Unde referente Bellarmino cap. 15. de amissione gratiæ Sixtus quartus Pontifex Maximus in illa Constitutione, quæ incipit: *Grave nimis de reliquiis, Et veneracione Sanctorum* Et c. disertis verbis declarat, quæstionem illam de B. Virginis conceptione ab Ecclesia Catholica, & ab Apostolica Sede nondum esse definitam, ideoque poenam excommunicationis statuit in eos, qui alterutram Sententiam ut hæreticam proclaimare præsumunt, & huic declarationi, aliorūmque Pontificum Decretis insistit Trident. *Seff. 5. in Decreto de Peccato originali.*

Argumenta pro Virginis Conceptione Immaculata desumuntur potissimum ex S. Scriptura, aut figuris in ea contentis, & ex SS. PP. quæ magno numerò Cardinalis

noster Sfondrati in Innocentia Vindicata adstruit. Nos pauca delibamus.

35 Et primò, quod nostra Sententia non sit contra Scripturam, aut fidem Catholicam, ut aliqui olim existimârunt, ex eo est I. quod est contra Scripturam, aut fidem Catholicam, debet repugnare expresso Verbo DEI, ut esset Sententia negans DEUM unum, & Trinum; non creasse Coelum, & terram: aut repugnare Verbo DEI ab Ecclesia declarato, e.g. filium non esse consubstantialem Patri, sed ipso minorem, quod docuerunt Ariani, vel saltem debet repugnare alicui veritati immediate, aut mediately ex Scriptura deducere: sed nihil horum continet haec pia Sententia, cum ea, quæ ex Scriptura, Conciliis, aut aliis quibus Patribus in contrarium afferuntur, commodè explicari possint: ergo non est contra Scripturam, nec contra fidem Catholicam. Maj. supponitur. min. clara fieri ex Responsionibus ad Objectiones.

Secundò: ipsa Sacra Scriptura huic Sententie non tantum occasionem, sed & argumenta fortissima præbets, sic enim dicit Canticorum 4. *Tota pulchra es amica, & macula non est in te:* quem textum multi ex SS. PP. & Doctribus de B. Virgine intelligunt: sed non esset tota pulchra, si vel in ipso vitæ principio fuisset peccato originali infecta. Si tu dicas, in textu illo sermonem esse de anima justa, tanquam sponsa dilecti, non determinatè de B. Virgine, quæ ego, de qua anima ergo inter omnes homines illud convenientius, & verius intelligi possit, quam de Matre DEI, quæ dignitatis est propè infinitæ? Nullam, credo, meliorem invenies, sicut nullam, quæ Virgo, & Mater sit, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Ideoque S. Bernardinus Senensis Tom. I. Sermone 52. in nostro sensu illum textum assunit, dum ait: *Macula non est in te,* scilicet culpæ originalis.

lis. Et Sapientissimus Idiota, qui B. Virginem, cui ex animo devotus erat, ex illo Cantico sic alloquitur: *Tota pulchra es Virgo gloriofissima, non in parte, sed in toto; & macula peccati sive mortalis, sive venialis, sive originalis non est in te, nec unquam fuit, aut erit.* Nec audiendus est Illyricus suprà citatus, qui Sententiam Idiotæ de exemptione Virginis etiam ab originali erroneam vocat; nam quid de originali favorable exspectes ab eo, qui Virginem nec à personali immunem defendit? Cùm tamen Patres & Antiquitate & Sanctitate præstantissimi, Augustinus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus B. V. appellant *immaculatam*, & penitus *intaminatam*. Et S. Chrysostomo in *Litur-gia B. Virgo est ab omni labe integra.* S. Ambrosius *Sermo-ne 22. in Psalmum 118.* Angelis priorem pronuntiat, quæ si non evincunt Virginis exemptionem ab originali, faltem à personali. Singulare est argumentum S. Augustini lib. 5. contra Julianum cap. 9. dicentis, quòd si quis grandior natu, id est adultus, peccatum actuale non commisit, in infantia nec originale contraxisse censendus est: jam assumo: sed Beata Virgo juxta sensum Ecclesiæ, ut loquitur Tridentinum Seff. 6. *Canone 23.* nullum unquam actuale commisit: ergò nec originale in infantia contraxisse censenda est. His, aliisque SS. PP. additur à multis etiam S. Thomas, quem præ aliis piæ Sententiæ favere, evincere conatur laudatus Eminentissimus Cardinalis Sfondrati cit. loc. ubi præsertim adducit S. Doct. in 1. *Sentent. distinct. 44. quest. unica art. 3. ad 3.* antiquioris Editionis, ubi ait: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla peccati contagione inquinatum sit: & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immuris fuit; fuit tamen sub DEO, in quantum in ea erat potentia ad peccatum.* Videtur S. Thomas secutus esse in hoc tex-

textu S. Anselmum de conceptu Virginali dicentem: *Decebat, ut illa Virgo ea puritate miteret, qua major sub DEO non quid intelligi.* Unde S. Thomas etiam in Epistolam Apostoli ad Galat. Lect. 6. dixisse perhibetur sic: *Mulierem ex omnibus non invenio, que à peccato immunis esset, ad minus Originali, vel veniali: excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo MARIA.* Ita contineri, ajunt Innocentia defensores, in exemplaribus Parisiensibus, & Venetianis Annis 1529. & 1555. editis. Antequam plura dicamus de S. Doctore quoad hanc Quæstionem

36 Argumentum potissimum, quo meritò flectendus est, quisquis non studiosè, & temerariè Virginis Innocentiam impugnat, præbet communis consensus Ecclesiaz, celebrantis Festum Conceptionis B. V. MARIAE post Decretum Sixti Quarti Summi Pontificis in Extravag. de Reliquiis & veneratione SS. quæ continentur etiam in Tridentino. cit. loc. & incipit: *Cum Præcessa, ubi promulgatur Festum Conceptionis, ad eius celebrationem fideles admonentur, ut scilicet Omnipotenti DEO de ipsius NB. immaculata Virginis mira conceptione gratias, & laudes referant, & institutas propter eam in Ecclesia DEI Missas, & alia Divina Officia dicant, & illis intersint.* Utque magis ad fervorem fideles excitarentur, concessæ sunt largæ indulgentiaz. Ibi etiam approbatur Officium de Conceptione Virginis, quod scripsit Magister Leonardus de Nogatolis dicti Pontificis Notarius, & quasi norma præscribitur Virginis Conceptionem celebrandi.

Sed quamvis hic dicatur Festum *Immaculatae Conceptionis*, nihilominus subinde propter scandala, dissensiones, atque discordias in populo Christiano Gregorius XV. anno Domini 1622. 24. Maii in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis constituit, ac præcepit, ut in Sacro sancto Misse Sacrificio, ac Divino Of-

ficio

*scio celebrantis, quām publicē, quām privatim, non alio; quām Conceptionis nomine uti debeant, contravenientes autem sua Sanctitas voluit, & declaravit, subjacere debere, & subjecit censuris, & paenitentia in supradictis Constitutionibus, ac praeserto Decreto suorum Praedecessorum, ipso facto incurrendis. Sed & post hoc Decretum Gregorii XV. iterum invaluit nomen Conceptionis *Immaculatæ*, cùm constiterit, quod alii Pontifices Alexander VII. Julius II. & Leo X. singularibus Bullis ordinem novum sub titulo *Immaculatæ* Conceptionis institutum approbaverint, ut adeò passim, praesertim in Germania, Hungaria, & Polonia Festum B. Virginis sub titulo *Immaculatæ* celebretur, annuente tacite, si non explicitè Clemente XI. dum Festum hoc per universam Ecclesiam sub præcepto celebrandum extendit.*

Illud dissimulandum non est, quod Reverendissimus³⁷ ac Clarissimus D.D. Abbas Michaelfeldensis Henricus Hardter, circa hanc materiam ex Nierenbergio, & Lancizio tom. 2. operum refert, constare nempe ex actis Concilii Tridentini, quæ asservantur Romæ in Castro S. Angeli, quod Patres dicti Concilii jamjam conceperint definitionem *Immaculatæ* Conceptionis, fuerit tamen illa voluntas impedita à protestantibus quibusdam Episcopis, & Theologis Ord. S. Dominici. Quidquid de hoc sit, certum tamen est, sensum Ecclesiæ, ac Pontificum irrefragabile propè argumentum esse pro Innocentia Virginis praesertim cùm agatur hic de re ad religionem, & mores pertinente, in quibus error admitti non potest. Constat autem Summos Pontifices hortari, & allicere fidèles, ut Festum Conceptionis devotè celebrent, ut adeò hic cultus non possit esse de falsitate suspectus; nam ut ait S. Augustinus Epist. 118. de eo, quod universa Ecclesia facit, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissime insanie est. Cæterum quod S. Thomam concernit, Theologicè lo-

U

quen-

quendo existimo, propositionem illam suprà allatam, esse universalem respectu omnium, solô Christô exceptô, ita alibi præsertim 3. part. quæst. 27. art. 2. & quodlib. 6. quæst. 4. art. 7. Sæpiùs docet; dum enim Scholasticè processit, usus est regulâ universalí S. Scripturæ, & opinione SS. PP. idem docentium. In opinionibus autem privatis, ut vidimus, pro Virgine clarior esse videtur, ut proin si vidisset, quæ nos videmus in sensu Ecclesiæ, & Pontificum, etiam Scholasticè pro Virgine certâsset, quod exinde probatur. Nam 3. part. quæst. 27. art. 1. infert, Beatam Virginem in sua Nativitate fuisse Sanctam, eò quòd Ecclesia Nativitatem celebret: ergò si videret, celebrari ab Ecclesia Conceptionem, cùm illa non celebret nisi Sanctum, etiam illam Sanctam diceret, & vel ideo immaculatam; aliàs nihil singularis prærogativæ ipsius Conceptio haberet præ cæteris.

Dixi autem, S. Thomam processisse ex regula universalí *Sacrae Scripturæ*, à qua ordinariè nemo, qui per seminalem propagationem descendit, excipitur, per hoc tamen non exclusisse speciale privilegium, & ita suum Doctorem explicat Joannes à S. Thoma, Theologus Profundissimus Ord. Sancti Dominici disput. 2. in 1. part. in *Præmio artic. 2.* ubi ait: *Communior D. Thome interpretatio est, quòd loquitur Divus Thomas in illa universalí propositione ex vi legis ordinariae, relinquendo semper locum Privilegio.* Quinimò ipse S. D. ut ex Bernardino de Bustis, & Ferdinando de Salazar refert Eximus Pater Wenzl, omnigenæ Literaturæ Vir q. 7. de *vitiis, Et' peccatis num. 108. ad finem*, suam de hac re mentem explicavit; cùm enim Faustinus Paduanus Episcopus anxiè secum hoc de conceptione Virginis negotium versaret, eò quòd crederet, S. Thomam in 3. part. docuisse Sententiam severam contra Virginem, S. Thomas ei- dem apparuit, hisque verbis compellavit: *Scito Domine Epi-*

Episkepe, quod, quando talem opinionem posui, solum babui respectum ad Divinum statum, quo Beatissima Virgo peccatum Originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset preservata: sed DEI Filius Matrem suam ab originali peccato preservavit.

Quæres, cur ergò DEUS tanto tempore hoc My-³⁸ sterium latere voluerit, cùm maximè conducat ad gloriam Matris, quam utique Filius nunquam non velle potuit? Respondeo ut sèpè aliàs, non posse dari rationem de voluntate Divina, quæ sibi, & omnibus ad extra est prima regula; cur enim DEUS non citius produxit hoc universum, ut potuisset, ex quo utique ejus gloria, præsertim ex Incarnatione Verbi promanasset? & sic de aliis. Si tamen in admiratione persistas, ipsa tibi Virgo apud S. Brigittam in *Revelationibus Lib. sexto cap. 49.* de hac eadem re dubitantem, respondet: *Veritas est, quod ego fui, concepta sine peccato originali.* Et instantे humiliter S. Brigitta: *Cur ergò, O! Domina, hæc veritas non autoritate Ecclesiæ tenenda proponitur?* Reposuit Virgo: *Placuit DEO, quod amici sui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret tempore præordinato.* Hæc ergò est ratio Divini Consilii, cur Mysterium illud occultum voluerit, zelus noster, & fervor, ut pro Virginis Innocentia stemus viriliter, pugnemus fortiter, donec tempus illud præordinatum majori cum Virginis gloria, & meritorum nostrorum incremento adveniat. Interim quamvis plura dici possent, hæc pauca sufficiant, aliis, quibus otium est, abundè pro Virgine dicentib[us]. Præaliis hac de materia more suo eruditè, & suavissimâ eloquentiâ scripsit laudatus Eminentissimus Cardinalis Sfondrati cit. Libro.

QUÆSTIO III.

De Vulneribus, aliis potentias à Peccato Originali inflictis, & pœna ejusdem.

Mirum est, quantum SS. PP. Ascetæ, & Theologi, sed non omnes, ex peccato Originali deducant, quasi verò omnes defectus tam in linea morali, quam physica ab illo proficiuntur, ut fermè nihil sentire in te ipso, aut in aliis videre possis deficiens, quod non mereatur refundi in illud peccatum primi Parentis, ut ex subsequentibus apparebit. Ideò sit

ARTICULUS I.

An, & in quo sensu potentiae animæ dici possint subjectum Peccati Originalis?

Si Theologos Ascetas attendimus, multa & ingentia vulnera ex originali peccato in potentias derivata sunt, quæ ex S. Augustino ad duos fontes reducuntur, scilicet ad ignorantiam, & arduitatem, ex quibus iterum alii fontes promanant, scilicet ignorantia, & dolor. Unde primum vulnus ponunt in intellectu, scilicet ignorantiam rerum necessiarum in infantibus, ita, ut nec in bestiis major esse possit, pro quo adducunt S. Augustinum Lib. i. de peccatorum meritis &c. ubi ait, multorum peccatum pullos, etiam minutissimos agnoscere matres suas, & sponte sua alimenta ex uberibus querere: at infantes indigere ope aliena, qua pectori matris admoveantur.

Secundum apud ipsos est fatuitas, quæ in multis reperitur, & juxta S. Hieronymum Epist. 82. tam tardi non nulli sunt, & obliviousi, ut ne prima quidem clementia litera-

terarum discere possint; quidam verò tantæ fatuitatis, ut non multū à pecoribus differant, quos moriones non minamus.

Tertium est difficultas discendi, quæ tam altas radices in aliquibus egit, ut malint in tenebris ignorantia dilescere, quām improbo labore in lucem scientiarum, aut artium emergere. . Et hoc totum S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei refert ad peccatum originale, ita arguens: *Quid aliud indicat borrenda profunditas ignorantie, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam finu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit.* Et hæc ignorantia vel maximè se extendit ad ignorantiam finis ultimi, in quo hominis Beatus consistit: eadem est difficultas de electione mediorum ad finem, juxta illud Sapient. 9. *Cogitationes mortalium timide, & incerte providentiae.* Et alterum ibidem: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum, multa cogitantem.*

Ex parte voluntatis peccatum originale infert L philautiam, seu amorem sui ipsius, quo stimulante omnes querunt, quæ sua sunt, ita, ut ex hac perversitate proveniat omne genus vitiorum, quæ enumerat S. Augustinus cit. l. 6. cap. 22. longo ordine, & quidem omnis generis, verbō, quidquid scelerum est, vel etiam cogitari potest, ad illa, quæ S. Augustinus distinctè refert, refundi potest in originale peccatum.

Secundò est difficultas in vitiis superandis, & virtutibus aquirendis; unde tot regulis opus est ad extirpanda vicia, tot legibüs & comminationibüs ut abstrahamur: ad virtutes autem implantandas constanti studio, & labore perpetuo.

Tertiò perversitas voluntatis, in quantum redditia est tarda ad cultum veri DEI, & proclivis ad Idola, ut con-

constat ex divisione populi post turrim Babyloniam, ubi delapsi sunt ad suam quævis familia Idolatriam, paucis in agnitione veri Numinis perseverantibus; idem patet in populo Israëlitico, post exitum ab Ægypto, dum non obstantibus beneficiis DEI mirandis, plurimi tamen ad cultum inanum Deorum declinaverunt, mores induiti gentium. Unde

Quartò patet in inconstantia voluntatis, modò bonum, statimque iterum malum amplectentis, ut nunquam diu in eodem statu permaneat, quod eleganter, & ingeniosè de se ipso in Lib. 8. Confess. cap. 10. expressit S. Augustinus, dum ait: *Ego cùm deliberabam, ut jam servirem Domino DEO meo, sicut diu disposueram: ego eram, qui volebam, ego qui nolebam: nec plenè volebam, nec plenè nolebam: ideo mecum contendebam, & dissipabar à me ipso, & ipsa dissipatio me invito quidem siebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Hæc pœna erat peccati originalis, scilicet illa contentio ex inconstantia voluntatis per peccatum depravata, unde toties homo à se ipso dissipatur.*

Quod etiam eleganter, sed non sine genitu exprimit Author Libelli, de Imitatione Christi. lib. 3. cap. 55. Postquam apud DEUM conquestus est cum Apostolo Roman. 7. Sentio in Carne mea legem peccati &c. subjungit: *Opus est gratiâ tuâ, & magnâ gratiâ, ut vincatur natura, ad malum semper prona ab adolescentia sua. Nam per primum hominem in omnes homines pœna hujus macule descendit, ut ipsa natura, quæ bene, & recta à te condita fuit, pro vitio jam, & infirmitate corrupta naturæ ponatur, eò quod motus ejus, sibi relictus, ad malum, & inferiora trahat. Nam modica vis, quæ remansit, est tanquam scintilla quedam - - - hæc est ipsa ratio naturalis circumfusa magna caligine, adhuc judicium babens boni, & mali, veri falsique distantiam, licet impotens sit adimplere omne, quod*

ap-

approbat, nec pleno jam lumine veritatis, nec sanitate affectiōnum suarum potiatur. Plura adhuc alia illi Theologi in istis duabus potentiis ponunt ex peccato originali, ut evincant, illud has potentias etiam, non solum animam afficere. Scholastici confusione illa relictā tam memoratis potentiis, quām illis in parte hominis inferioris, puta, concupiscentiis inflictā vulnera ad quatuor constringunt scilicet ad ignorantiam, malitiam, concupiscentiam, & infirmitatem. De ultimis duobus postea, nunc ad duo prima.

Dico I. Ignorantiam illam, fatuitatem, & discendi difficultatem nihil positivi dicere in intellectu.

Declaratur Conclusio : dum dicimus ignorantiam intellectūs, & malitiam voluntatis nihil positivi dicere vel superadditi, vel ablati, agimus præcipue contra Hæreticos Lutheranos, qui ignorantiam, ut ait hic *disp. 9. sect. 5. num. 4.* Suarez, intellectūs, & malitiam voluntatis ita interpretantur, ut dicant, intellectum post peccatum originale mansisse prorsus cœcum ad intelligendum verum, præsertim practicum, & morale, voluntatem autem amisisse liberum arbitrium, quæ duo non satis explicari possunt, nisi dicant, intellectum fuisse redditum cœcum, vel per ademptionem naturalis luminis, vel per affusionem alicujus qualitatis intellectum obscurantis ; & si voluntas amisit liberum arbitrium, aliquid positivi, & quidem intrinseci perdidit, cùm ex sua natura sit libera, vel aliquid positivi accepit, quod libertatem constringeret, vel impedit, quæ sicut falsa sunt, ita hæretica, & ab Ecclesia damnata præsertim in Concilio Trident. *quoad liberum arbitrium Sess. 6. de Justificat. Can. 5.* ubi anathemate ferit dicentem, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, aut extinctum, aut rem esse de solo titulo *veluti in anime quoddam nibil omnino agere, merique passivè se habere,*

re, uti se habet apud Lutherum, & Calvinum, illo Canone petitos.

Dicimus ergò, illam intellectus ignorantiam, & voluntatis malitiam formaliter dicere privationem illius luminis supernaturalis in intellectu, & in voluntate illius rectitudinis, & firmitatis, qua prius in statu innocentiae adhærebat DEO: quoad intellectum certum est, quod multa nunc post peccatum ignoret, quæ in illo felici statu sciebat: sæpè decipiatur, dum prius non fuisset permittam frequens deceptio.

4. Quoad voluntatem etiam non est dubium, quod servatò licet liberò arbitriò, solutâ tamen per peccatum illa subjectione voluntatis ad DEUM, voluntas maneat nuda, ad sensibilia proclivis, & mala, malitiâ non propriè tali, & in se, sed quia denudata est, & ideò occasio peccandi. Nam sicut per justitiam originalem omnium suis potentiis erant recta, ita eadem, illis supernaturalibûs donis subtractis, facta est non recta, ut dicit S. Augustinus *Sermon. II. de verbis Apostoli: Creatus est homo in natura sine culpa, creatus est rectus, non se ipse fecit rectum, quid autem fecerit, notum est, cadens de manu figuli fractus est.* Fractus est, dum peccando sibi, & nobis perdidit illam rectitudinem, sibique relictus, ac si in puris naturalibus esset conditus, hoc solo inter statum naturæ puræ, & lapſæ discrimine, quod in hac carentia rectitudinis illius sit poena, & privatio, in illa non poena, sed mera negatio sit, manentibûs interim in utroque integris potentiis in sua naturali ratione relictis.

Ratio hujus est I. Natura hominis post peccatum originale entitativè, & in se prorsus est eadem: ergò & exdem potentiaz, & inclinationes, consequenter illa vulnera naturæ, & potentiarum sunt tantum respectivè ad statum innocentiaz. Ant. prob. ratione jam attacta: non

PO-

potest intelligi, quomodo natura, & potentiae fuerint auctæ quoad malum: ergo sunt, sicut essent in puris naturalibus. Consequentia tenet quoad entitatem, servato tamen discrimine assignato. Prob. antec. omne augmentum fit per additionem alicujus seu realiter, seu virtualiter talis: sed neutrum potest esse in natura, & potentias illis: ergo non augentur, nec minuuntur; quia intrinsecè in se mutari non possunt, cum nec intendantur, nec remittantur, neque illis habitus, aut alia qualitas superadatur: ergo in se intrinsecè manent illæsæ positivæ, privatæ tamen lœsæ respectu statu innocentiae. Hinc

Respondeo ad argumenta ex SS. PP. producta, & quidem ad primum de ignorantia intellectus, illam juxta dicta consistere in privatione illius luminis, quo ad cognoscendum verum in statu innocentiae intellectus erat praeditus, quo cum modo careat, & in sua natura relictus sit, tardior, & imbecillior est in cognitione veri tam speculativi, quam practici. Quod de infantibus ex S. Augustino refertur, revera nihil probat; nam & in statu naturæ puræ hoc idem contingeret, immo nec in statu innocentiae juxta S. Thom. 1. part. quest. 99. art. 1. per totum pueri non habuissent statim sufficientem virtutem ad movendum membra, & hoc esse naturale, ait, propter maximam humiditatem cerebri, propter quod nervi, qui sunt instrumenta motus, non sunt idonei ad movendum membra. Aliud est in primis Parentibus, qui creati sunt recti, & statim perfecti, ut ipse S. Augustinus antea citatus asserit. Addit quidem S. Thom. fieri potuisse per speciale gratiam, quod statim habuissent perfectum usum membrorum, sed cum ex Scriptura nihil constet de illa perfectione, sequi debemus naturam rerum. Et ideo concludit S. Doct. ibi: *Dicendum est ergo, quod pueri mox nati (in statu nempe innocentiae) non habuissent sufficientem*

virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus, sed ad actus pueritie, puta ad fugendum ubera, & ad alia bujusmodi. Ergò ista imbecillitas, quæ modò est in infantibus, non est ex peccato originali poena, sed naturalis hominis conditio. Dein idem S. Thom. ad 2. disparitatem inter hominem, & alia animalia assignat ex eo, quod illa statim habeant usum membrorum, id non proveniat ex illorum nobilitate, cùm animalia perfectiora hoc non habeant, sed hoc eis contingat ex siccitate cerebri: & quia, addit S.D. *actus proprii talium animalium sunt imperfecti, ad quos etiam parva virtus sufficere potest, consequenter ex poena peccati originalis in hoc casu nihil probatur.*

Respondeo ad secundum, & tertium, nec fatuitatem, nec difficultatem discendi aliud quid esse, quām ipsam hominis naturam, quatenus dicit privationem luminis illius supernaturalis in intellectu, & reftitudinis, quā gavisí fuissent homines, si status innocentiae durasset. Nec universaliter poena peccati dici potest, quia deberet afficer omnes, cùm æqualiter omnes in Adamo peccaverint; Contrarium constat in plurimis hominibus, qui vel nullam, vel levem tantum difficultatem in rebus etiam maximis addiscendis passi sunt. Exemplo præ aliis est ipse S. Augustinus, quia jam tunc, cùm Manichæus esset, & hoc ipso gratiâ destitutus, Philosophicas tamen disciplinas, & inferiores in tanto gradu adeptus est, ut Catholicis, quos exagitabat, terrori esset. Fuerunt alii Gentiles Philosophi, qui intra breve tempus ad summa pervenerunt. Quod verò multi sint fatui, tardi, & propè inepti, provenit ex defectu causarum inferiorum, & organizationis debitæ, quæ ex debilitate seminis, & virtutis plasticæ descendit per accidens, cùm natura ex se intendit perfectum. Quoad ignorantiam finis ultimi, & mediorum, illuc conducentium, fermè est eadem ratio, quod careat illa

illa illustratione Divina; ibi enim erat per intellectum, & voluntatem conjunctus DEO, qua coniunctione per peccatum sublata tardiis ad DEUM per cognitionem creaturarum pervenit, sicuti fieret in statu naturae purae.
Quoad voluntatem

Respondeo ad I. Philautiam illam iterum nihil dicere, nisi absentiam illius subordinationis, & adhæsionis in voluntate ad DEUM, unde omnia illa vitia, ut sunt *mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, mendacia, furta, bella &c.* proveniunt à natura sibi relictâ, & passionibus naturam consequentibus, nisi à ratione, quæ utique adhuc in nobis est, ut constat ex fide, cohibentur. Nunquid de nobis jam in Adamo lapsis Psalmista *Psalm. 4.* dixit: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lumen illud est ratio tanquam participatio illius legis æternæ, & primæ regulæ in agendo. Hinc eò graviores sunt in vitiis excessus, quo magis per peccata cumulata lumen illud perturbatur, passionibus, & vitiis habitibus prævalentibus, ut experimur in Barbaris, nulla ratione utentibus. Ex quo

Respondeo ad secundum, tertium, & quartum, illam perversitatem, & inconstantiam voluntatis ex eo esse, quod privata sit illo dono rectitudinis, & constantiæ, ideoque sibi relictam in delectabilia, & bona naturæ convenientia ferri, nisi à ratione juxta regulas prudentiæ, & morum dirigatur; hoc ipsum olim S. Augustinus expertus est, qui utique cognovit, quid rectum, bonumque sit, sed non voluit, aut non efficaciter, quæ culpa ipsius, non naturæ fuit, quam ratione potuisset corrigere, ut ex ipsius verbis evidenter appareat, dum consuetudo jam inveterata omnem conatus efficaciam impedivit. Quod verò dicat: *Nec tamen offendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ, rectè dixit;* nam in statu innocentia non ita

fluctuasset, sed firmiter voluntate adhæsisset DÉO, modò firmitate soluta, vaga est voluntas, frænóque rectæ rationis indiget.

- 43 Dein quidquid dicatur de istis vulneribus, potentiss nostris inflictis, capere nunquam potui, cur non etiam in statu illo innocentia potuissent aliqui defectus morales contingere, quamvis in homine adeò per dona supernaturalia regulato ab intrinseco non potuisset provenire aliqua tentatio, cùm pars inferior plenè fuerit subjecta parti superiori, potuisset tamē accidere tentatio ab extrinseco per diabolum, qualem etiam ipse Christus Dominus in nostrum exemplum admisit, cùm ductus est à spiritu in desertum, ut tentaretur à diabolo *Math. 4. v. 1.* & quia Christus tentari non potuit ab intrinseco, omnis diabolica tentatio, ut loquitur S. Gregorius *Homilia 26.* in hoc Evangelium : *Foris, non intus fuit, Et ideo tentari per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit.* Talem extrinsecam temptationem à diabolo sub specie serpentis etiam passi sunt primi parentes, cui statim Eva succubuit, & postea Adam, qui tanquam vir debuerat resistere; nam, ut ait S. Ambrosius *Lib. 4. Comentarii in Evang. S. Luce cap. 4.* *Eva mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat.* Tantæ mobilitatis utique non fuit vir, & tamen peccavit : si ergò caput tam facile, tam citò deliquerit, nunquid & alii ex illo descendentes ita tentati peccassent, non obstante illa subordinatione, quæ per liberum arbitrium dissolvi potuit. Si ergò in illo statu peccare potuit, non ita afflita est natura nostra, ut aliquid de se perdiderit, vel aliquid positivè receperit, per quod suò modò ad peccandum compulsa, aut faltem inclinata fuerit.

ARTICULUS II.

De vulneribus aliarum potentiarum?

Nunc restat agendum de vulneribus partis inferioris,⁴⁴ in qua sunt sensus tam interni, quam externi, uterque appetitus tam concupiscibilis, quam irascibilis. Jam hi vulnerati dicuntur adeò, ut propter illa vulnera tot nascantur cœci, surdi, muti, aliisque defectibus obnoxii &c. Unde S. Augustinus *Lib. 6. in Julian. cap. 4.* ad peccati originalis poenas refert, quòd tam multi morbi, & monstrosi nascantur.

Respondeo, ea modò in nobis contingere, quòd careamus illa sanitate, quam habuissimus in illo statu innocentiae, ubi qualitates corporis fuissent invicem attemperatae, nec una alteram excessisset; non enim fuisset ibi talis corruptio cessante pugna inter qualitates contrarias propter nutrimenta corpori proportionata; consequenter hæc poena iterum consistit formaliter in privatione. Deinde quòd homines aliqui sint morbi, cœci, monstrosi, non potest immediatè refundi in peccatum originale, alias certè omnes hæc poena afficeret, sed in causas secundas, in generantes, in seminis debilitatem, aut alias causas; quòd enim iste ex. gr. strumosus sit, aut luscus, provenit sàpè ex sanguine Parentum, vel alia negligentia, dum non cauentur nocitiva. De strumis certum est, quòd sàpè, & plerùmque à cibo, & potu proveniant; si enim iste, vel illa fuissent aliter educati, aliter enutriti, talibüs defectibüs non laborarent. Similiter dicendum de aliis. Quoad appetitum irascibilem, qui pro objecto habet arduum sensibile, & natus est obedire rationi imperanti, tanquam miles in ordine ad ardua superanda, modò verò debilis sit:

Dicendum est, illam debilitatem esse tantum respectivam ad statum innocentiae, ubi plenè erat subiectus rationi &c. & nec iste defectus est universalis; quor enim Heroëis admiratur orbis, qui æquè fuerunt obnoxii peccato originali, & tamen præstiterè stupenda. Numera, si potes omnes, Græcos, Romanos Duces; & quid ad exterios recurrimus? vel sola Germania Heroibùs plena est, aliásque nationes longis intervallis antecellit. Plures alias personas congerunt Authores, ut vulnera illa dilatent, quæ tamen facile, & breviter explicari possent. De concupiscentia speciale hoc dicitur, quod per peccatum originale soluta contra spiritum rebellet, nec finiri possit illud bellum intestinum usque ad mortem, exclamante Apostolo Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Nihilominùs

Dico II. Concupiscentiam modò in tantum habere rationem mali, aut poenæ ex peccato originali, in quantum est privata illa subjectione, & obedientiâ ad partem superiorem. Non intelligimus autem hic concupiscentiam, ut dicit appetitum sensitivum secundum se; nam iste per se bonus est, & in natura etiam integra fuit, sed ut dicit appetitum rebellem, de quo Apostolus queritur, & contrarium rationi, quam idem Apostolus vocat *legem contradicentem legi mentis*, & vocatur etiam fomes peccati.

Ratio Conclusionis est eadem, quæ de infirmitate voluntatis est, scilicet I. quod ista potentia, sicut aliae inferiores soluta subjectione, & obedientiâ velut in statu primo, & quoad esse consideratae non sint procliviores ad sua objecta, quam ex se essent in natura pura.

II. Ut suprà diximus de intellectu, & voluntate, intelligi non potest, quomodo hæc propensio appetitus fuerit aucta, vel remissa, aut entitativè in se mutata, vel aliquid positivi demptum, aut superadditum sit.

Di-

Dices I. ex S. Thom. 1. 2. quest. 82. art. 1. ubi peccatum originale expressè vocat habitum, non quidem sicut habitus dicuntur scientiæ, & virtutes, sed quatenùs habitus dicitur dispositio alicujus naturæ, secundùm quam bene se habet, vel malè aliiquid: sed post originale peccatum appetitus se habet malè ad objectum suum: ergò in hoc sensu est habitus. Pro quo S. Thomas cit. art. in responsione *sed contra* S. Augustinum adducit in *Lib. de Baptismo puerorum* dicentem, quòd secundùm peccatum originale parvuli sint concupiscentes, etsi non ut actu concupiscentes: *sed habitualitas* (assumit S. Thomas) *dicitur secundum aliquem habitum: ergò peccatum originale est habitus;* cùm autem sit sermo hic apud S. Augustinum de concupiscentia, illa erit habitus.

Respondeo, S. Doct. non tantùm non obesse, sed prodesse potius nobis; nam per illam dispositionem nihil aliud intelligit, quām ipsam concupiscentiam prout sibi relictam, quæ ex se inclinat ad peccatum, nisi à ratione restringatur, in quo loquitur Trident. Sess. 5. in cit. Decreto. Hinc in Corp. S. Thomas illam dispositionem sic explicat: *Est enim quedam inordinata dispositio NB. proveniens ex dissolutione illius Harmonie, in qua consistebat ratio originalis justitiae, & dein similitudinem consuetam sibi adducit: sicut etiam aegritudo corporalis est quedam inordinata dispositio corporis NB. secundum quam solvitur aequalitas (scilicet qualitatum primarum) in qua consistit sanitas, unde peccatum originale languor naturæ dicitur.* Ex quibus infero, illam inordinatam dispositionē pro formalī importare privationem illius harmoniæ, quæ in statu innocentia fuit, pro materiali verò ipsam concupiscentiam rebellem, & ad sensibilia contra rationem inclinantem. Languor verò ille naturæ ideò dicitur talis, quia sublatâ harmoniâ natura manet sibi-relicta, nec amplius excitata ad bonum.

Di-

47 Dices II. Et urgebis ex cit. art. ad i. ubi S. Doct. respondet, quod sicut ægritudo corporalis habeat aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas sanitatis, & aliquid habet positivè scilicet ipsos humores inordinatè dispositos, ita etiam peccatum originale habeat privationem Originalis justitiae, & cum hac inordinatam dispositionem partium animæ; unde non est privatio pura, sed est quidam habitus corruptus.

Respondeo S. Doct. in his ultimis non intelligere habitum propriè talem, alias in eodem articulo sibi contradiceret, quod temerarium esset asserere: intelligit ergò dispositionem illam, quæ in recto non est distincta ab ipsa naturali concupiscentia, in obliquo tamen importat sublationem illius harmoniae, ex cuius ablatione consequitur tanquam formale ipsius privatio. Hinc illa inordinata dispositio partium animæ non est aliquid positivè distinctum à partibus, sed tantum ideo talis est, quod partes sint privatæ ordine illo, vi cuius erant subordinatæ parti superiori.

48 Quoad sanitatem corporalem est quidem aliquas similitudo, sed non omnino paritas; nam sicut Sanitas consistit in æqualitate qualitatum, ut nec humidum siccо, nec calidum frigido prævaleat, sed sint in debita proportione, ita ægritudo primariò consistit in privatione illius æqualitatis, & secundariò in humoribus, quasi in materiali, cum hoc autem inter inordinatam dispositionem quoad partes corporis discriminare, quod solutâ semel proportione qualitatum e. g. calor intendatur, ut frigus aut humor supereret, ut sit in morbis acutis: aut frigus, aut humor excedat calidum, ut contingit in Hydropisi, ubi semper augmentum quoddam physicum, & positum accedit; econtra in partibus animæ nihil positivè advenit, quando illa æqualitas, & harmonia dissolvitur, sed

sed partes solum dicuntur inordinatae ratione privationis; quia non amplius sunt ordinatae per harmoniam ante habitam, vel habendam, si Adam non peccasset: atque sic ipse S. Thomas se explicat eadem *quest. art. 3.* per totum, ut supra num. 27. ostendimus.

Dices III. Si inordinatio diceret privationem illius⁴⁹ harmoniae, tunc una potentia inferior non esset magis vulnerata, quam altera: sed hoc est contra S. Augustinum, & Thomam: ergo inordinatio illa non consistit in privatione. Maj. est clara, min. prob. S. Thomas *2. quest. 83. art. 4.* clarè docet per totum, quod, cum traductio peccati originalis fiat per viam generationis, illæ potentiae, ad ejusmodiactum concurrentes, maximè sint infectæ; sunt illæ potentiae tres, scilicet vis generativa, vis concupisibilis, & tactus; tactus autem juxta S. Thomam habet in se delectationem, quæ est maximum objecum concupisibilis. Pro quo S. Doct. adducit S. Augustinum *lib. 14. de Civit. Dei cap. ultimo* dicentem; „quod „infectio originalis culpæ maximè apparet in motu genitium membrorum, qui rationi non subditur.

Respondeo, nec S. Thom. nec August. aliud velle, quam quod istæ potentiae, quæ in statu innocentiae plenè erant subditæ rationi, nunc illa subjectione sublata, procliviores sint ad delectabilia, cum aliæ ex natura sua magis ad illa propendeant, quam aliæ potentiae: cum ergo justitia originalis vehementiores impetus in his potentias represserit, illa absente, quodam quasi impetu in delectationem adeò titillantem rapiuntur. Quod verò illæ potentiae præ cæteris magis inclinent ad voluptuosa, etiam in animalibus experimur, & vel ideo homines talibus vitiis dediti bruta, & bestiæ vocantur.

His effectibus, aut poenis adduntur adhuc alii, scilicet ⁵⁰ mors, & aliæ infirmitates, corpus corruptibile consequentes

tes. De morte patet ex Gen. 2. *Morte morieris*, quod communiter intelligitur de morte corporali (quamvis etiam sumi possit de morte animæ) ut colligitur ex cap. 3. Gen. *pulvis es, & in pulverem revertēris*. Et ad Rom. cap. 6. *stipendium peccati mors, & videtur definitum à Tridentino in cit. Decreto Can. 1. ubi, postquam dixit, Adamum per transgressionem mandati Divini, sanctitatem, & justitiam amisisse, statim subjungit: atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat DEUS, & cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse. In hoc errasse Pelagium, ait Suarez hic disput. 9. sect. 5. n. 9. ex lib. 1. de Baptismo parvul. idem tamen S. Doct. lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 4. dicit: aliquos tantum Pelagianos hanc veritatem confessos fuisse, scilicet Catholicorum rationib[us] convictos: ergo antecedenter negarunt.*

Ex hac mortis aliquando nobis obventuræ certitudine consurgit ejusdem timor continuus, unde Apostolus 2. Corintb. 5. ait: *Ingemiscimus gravati eo, quod nolumus exponi, sed supervestiri, ut absorbeatur, quod mortale est à vita.* Si beatum Job, virum ita compositum DEO, timor mortis perturbavit, quis nostrum non pavebit? & hæc est vera poena peccati. Timorem mortis multum adauget brevitas vitæ, quam cum etiam Ethnici agnoscerent, de natura conquesti sunt, quod longiorem vitam cornicibus, quam hominibus dedit. Alius teste Bellarmino cit. loc. cap. 12. librum suum ab illis verbis auspicatus est: *ars longa, vita brevis, quasi dicere vellet, minus rectè cum humana natura actum esse, quæ propter brevitatem vitæ non sufficiat artibus sibi comparandis: & revera justa videretur querela, nisi vitæ brevitas ex peccato*

to originem traxisset, dum modò illis alimentis, vitam conservaturis, caremus, qui in statu innocentiae, vel in sola arbore vita abundassent. Nec brevitas vita est sola, sed referta miseriis istis quasi intrinsecis, quibus superad- dunt alias extrinsecas. I. post peccatum habemus DEUM nobis iratum; nascimur enim omnes *fili iæ ad Ephes.* 2. II. traditi sumus potestati diaboli, donec à Christo ejectus est ille princeps tenebrarum, nosque in libertatem asserti, quod expressit ipsa Incarnata Veritas *Joan. 12. v. 31.* Nunc *judicium est mundi, quia princeps hujus mundi ejicietur foras,* scilicet post mortem, quam subiturus erat. III. Sunt calamita- tes à Cœlo, terra, & mari nobis incumbentes, atque ad has reducuntur imbres, tempestates, fulmina, grandines, & quidquid denique malorum humanum genus infestat. Hæc quidem omnia in eo sensu habent rationem poenæ, in quantum post peccatum homo ejectus est à Paradiso, qui erat locus temperatissimus, & pacatissimus, ubi illa mala abfuissent. Sic etiam de aliis casibus fortuitis, quos prævidere non possumus, sentiendum est, de quibus S. August. apud Bellarm. cap. 3. cit. loc. ait: *Quis ambulat ubi- cunque non inopinatis subjacens casibus? de foro quidam rediens sanis pedibus cecidit, pedem fregit, & ex illo rubore finivit hanc vitam. Quid sedente securius? de sella, in qua sedebat, ce- cedit Heli Sacerdos, & mortuus est, & sic de aliis, quæ uti- que in statu innocentiae, quo modò privati sumus, non accidissent, & in hoc sensu dici possunt poenæ, quæcum- que demum malorum exempla proferantur.*

ARTICULUS III.

De pena peccati originalis, & personalis in altera vita.

Hæc duo studiosè conjungimus, quia admisso semel in originali homo privatus est gratia sanctificante, & Iesus in natura priuior respectivè factus est ad pec-
cam.
Y 2

candum, ut in hoc sensu peccatum actuale in natura lapsa subsequens suò modò, saltem impropriò dici possit effectus, aut poena originalis peccati. Hæc prima quæstionis pars instituitur præcipue de parvulis sine baptismo decedentibus; nam de adultis vix potest esse quæstio; nam vel sunt mundati à peccato originali, vel non? Si mundati, & non amplius in vita peccârunt mortaliter, de salute sunt certi: si verò primam illam in Baptismo innocentiam graviter peccando extinxerunt, nec poenitentiam redintegrârunt, rei sunt mortis æternæ. Si verò non sunt mundati per Baptismum fluminis, mundati tamen per Baptismum flaminis: id est, si illustrationi divinitùs acceptæ cooperati sunt, verûmque actum amoris DEI super omnia cum detestatione peccatorum actualium elicuerint, & sic Baptismum fluminis habuerunt in voto, salvantur, nisi de novo peccaverint, nec poenitentiam egerint. Tertia adulorum classis est illorum, qui invincibiliter DEUM ignorant, & tamen vivunt conformiter lumini naturali, illi propter originale non damnantur juxta claram S. Thom. doctrinam 2.2. quæst. 10. art. 1. de infidelitate negativa, & hi censemur similes infantibus non baptizatis, quamvis fermè, si non moraliter, sit certū, eos peccare sine auxilio, quale ibi non dari supponitur. Pro conclusione ulteriùs notum suppono, aliam esse poenam damni, quæ consistit in carentia visionis beatificæ, aliam esse sensus, quæ est afflictiva per tormenta inferni.

s 2 Dico I. Pueris cum solo Originali morientibus nullam respondere poenam sensus, sed solùm poenam damni. Hæc secunda conclusionis pars videtur esse certa, & juxta communem de fide.

Et ratio est; quia deficiente visionis radice, cessat visio: sed in parvulis cessat gratia tanquam essentialis radix visionis

nis in moderna providentia: ergò cessat visio beatifica: & deinceps nulla est parvolorum ad visionem beatificam proportio; quia nunquam facti sunt participes meritorū, & Passio-
nis Christi, quæ primò contingit in Baptismo, quo ta-
men carent. Pro quo est illud *Joan. 3. Nisi quis renatus fue-
rit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum
Cælorum.* Docet etiam Tridentinum sæpè cit. *Seff. Can. 4.*
quod tam in adultis, quam parvulis ad vitam æternam
acquirendam necessaria sit regeneratio per Baptismum, ut,
quod generatione contraxerunt, regeneratione munde-
tur.

Quoad primam partem non quidem suppetit fun-⁵³
damentum clarum ex Scriptura, quod parvulos à poena
sensus eximeret, aliàs non posset esse discrimin inter Au-
thores, dum aliqui eosdem poenæ illi subjiciunt, alii ab ea-
dem eximunt. Certè mens S. Thomæ in hoc est clarissi-
ma in 2. sent. dist. 33. quest. 2. art. 1. & alibi præsertim quest. 5.
de malo art. 2. ubi inter peccatum originale, & actuale.
hoc discrimin ponit: „poena proportionatur culpæ, &
„ideò peccato actuali mortali, in quo NB. invenitur aver-
„sio ab incommutabili bono, & conversio ad bonum
„commutabile, debetur & poena damni, scilicet caren-
„tia visionis Divinæ, respondens aversioni: & poena sen-
„sùs respondens conversioni: sed in peccato originali
„non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid ave-
„rsioni respondens, scilicet destitutio animæ à justitia ori-
„ginali: & ideò peccato originali non debetur poena sen-
„sùs, sed solùm poena damni, scilicet parentia visionis.“

Si dicas I. Parvulos saltem habitualiter esse conversos
ad aliquod commutabile bonum ratione concupiscentiæ,
inclinantis ad malum; concupiscentia autem velut mate-
riale juxta S. Thomam pertinet ad peccatum originale:
ergò puniuntur etiam poenâ sensus.

II. Parvulos puniri non tantum propter originales, quod in se participant, sed propter illud actuale Adami, quod etiam ipsorum peccatum est saltem moraliter, si non physicè: ergo sicut Adamo debebatur poena sensus, ita & parvulis debetur.

III. Poena sensus non tantum conversioni ad creaturam, sed etiam aversioni à DEO correspondet: parvuli autem sunt reverè aversi à DEO: ergo correspondet ipsis poenâ sensus.

54 Respondeo ad primum, illam habitualem conversionem, seu concupiscentiam non esse formaliter malam juxta Trident. suprà citatum: poena sensus autem correspondet malitiae, & inordinationi; nec obest, quod se habeat quasi materiale in originali, nam poena non datur ei, quod est materiale, sed quod formale est.

Ad secundum distinguo ant. parvulos puniri quidem poenâ damni, concedo antec. poena sensus, nego ant. Ratio est, quod Adæ peccatum tantum inadæquate fuerit nostrum peccatum, scilicet quatenus fuit causa amissionis justitiae originalis, & inductionis maculæ, cui aliud non debetur, nisi poena damni, respondens aversioni. Ratio hujus est, quod parvuli in transgressione legis Divinæ nihil actualis concupiscentia commiserint propria voluntate; unde S. August. qui quidem quoad ista hinc inde diversimodè loguitur lib. 1. tamen ad Bonifacium ait: *Non enim damnatur, nisi qui concupiscentia carnis consentit ad malum.* Sed parvuli non propriâ concupiscentia carnis consenserunt ad malum: ergo non dominantur. Dein patet etiam ex eo, quod si Adam restitisset tentationi, haud dubie auxisset sibi gratiam, & meritus fuisset, illud tam en meritum, & augmentum non transmisisset ad nos; quia tantum debetur actualiter operanti propria voluntate, & personali conatu: ergo nec poenam sensus transmitit, quæ

quæ solùm debetur actualiter, & propria voluntate peccanti.

Ad tertium communiter respondetur, quòd aversio reperta in peccato originali semper aliquid conversionis habeat, saltem interpretativè; quia est voluntaria voluntate propria, consequenter vi illius participationis ei debetur poena sensùs; aversio autem in parvulis nihil conversionis admixtum habet, hoc ipso, quòd non fuerit inducta per actum propriæ voluntatis.

Vel etiam juxta nos responderi potest, quòd aversioni in se spectatæ tantùm respondeat poena damni, per accidens dein poena sensùs, quia semper est conjuncta conversioni, cui debetur poena sensùs in homine personaliter operante, non in parvulis.

Cæterum quòd habituali dispositioni non respondat poena sensùs, docet S. Thom. cit loc. de malo, ubi ait: *poena sensus nunquam debetur habituali dispositioni; non enim aliquis punitur ex hoc, quod est habilis ad furandum, sed ex hoc, quod actualiter furatur* --- & post alia ibi ad rem facientia concludit: *& ideo parvulo defuncto cum originali non debetur poena sensus, sed solùm poena damni,* NB. *quia scilicet non est idoneus perduci ad visionem Divinam propter privationem Originatis justitiae.*

Instabis cum Bellarmino lib. 6. de statu peccati, qui à 55 cap. 2. docet, de fide Catholica tenendum esse, parvulos sine Baptismo docentes *absolutè* damnatos esse, & non solùm coelesti, quam eisdem aliquis ex antiquis Theologis Vincentius nomine, & post ipsum Zwinglius in *declaratione peccatorum* concessit, beatitudine, verùm etiam naturali perpetuò carituros esse: quam beatitudinem naturalem infantibus tribuebant Pelagiani: & has duas sententias vocat Bellarminus non solùm falsas, sed & hæreticas, *Quoad primam concedunt Theologi, etiam de filiis fiducium,*

hum, quibus Buccerus & Calvinus supernaturalem beatitudinem attribuunt contra expressa Scripturæ testimonia : quoad secundam res videtur dubia, & ideo, quia ad hoc illa censura Bellarmini censetur immodica, & iniuncta Theologis ; nec enim contra fidem est, afferere parvulos olim post extremi judicii diem fruituros beatitudine quadam naturali, consistente in cognitione DEI abstractiva, scilicet in cognitione creaturarum : quod hæc sententia contra fidem non sit, clarè dicit Illustrissimus Godoy, alias Rigorista, *de peccato originali*, quest. 83. §. 8. dum ponit in terminis hanc conclusionem : *Sententia concedens parvulis naturalem beatitudinem, nullam censuram contra fidem meretur*, quam tamen præproperè tulit Bellarminus, ideoque dicitur *immodicus*. Pro qua sententia citatus Author meritò allegat S. Thomam à nobis infra referendum, aliósque Authores.

Quamvis dein in conclusione sexta dicat, sententiam negantem parvulis beatitudinem naturalem veriorem esse, & S. Scripturæ, Conciliis, & Patribus conformiorem : etenim hæc posteriora non officiunt nobis, qui solum dicimus, opinionem illam de beatitudine naturali non esse contra fidem, quod Author iste antea dixit. Interea Bellarminus vult absolutam damnationem, & interitum parvulis innocentibus, quos communis Ecclesiae consenus tales appellat, &

56 Urget sic I. ex Concilio Milevitano in Epist. apud S. Augustinum 92. dicente: *Quicunque negant, parvulos, si nullis innoventur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam eternam, nequam presumptione contendunt.* II. ex Florentino Sess. ult. definiente: *Illorum animas, qui cum actuali mortali peccato, NB. vel solo originali decadunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* III. adducit etiam Trid. Sess. 5. ac si disertis verbis dicat, parvulos

Ios. sine Baptismo ad vitam æternam non devenire. IV. allegat cit. Author multos ex SS. PP. uti SS. Prosper, Fulgentius, venerabilis Beda, Anselmus, Bernardus &c. dicunt, infantes damnari : parvulos ante Baptismum per exorcismum liberari à potestate diaboli, quod vel maximè urget S. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis. Et lib. 2. de peccat. orig. ex quibus infertur, semper tales esse mansuros, qui nunquam ad Baptismum pervenerunt, uti parvuli illi, de quibus loquimur : esse autem in potestate diaboli, est esse damnatum simpliciter.

Ante responcionem notandum est de S. August. neminem ex SS. PP. hac in materia ita fluctuisse, ut illum ipsum, ut adeò immerito aliqui Doctores eidem tam firmiter innitantur, sicut & Bellarminus. Patet autem ejus dubitatio ex Epist. 28. ad S. Hieronymum, ubi ita scribitur : *Cum ad poenas ventum est parvolorum, magnis, mihi crede, angustiis ardor, nec quid respondendum, penitus invenio - - - & paucis interjectis sic prosequitur : quamvis autem desiderem, rogem, votis ardentibus exceptem, & exspectem, ut per te mihi Dominus bujus rei auferat ignorantiam, tamen si minimè meruerero, patientiam mibi petam a Domino DEO nostro. Amabo! quid certi prudenter exspectes ab eo, qui penitus non inventit, quid respondendum sit : qui suam ignorantiam candidè profitetur, ideoque ab Hieronymo doceri rogat? Si ergò tam variè dixit, & scripsit S. Augustinus, ex eo est, quia ipsi cum variis Hæreticis decertandum erat, præsertim cum illo tempore aliqui docerent, parvulos, quamvis non baptizatos, ad æternam beatitudinem perventuros, quibus S. Augustinus opposuit *damnationem*, aliis objecit alia, quæ temporis, & Hæreticorum doctrinis expugnandis erant convenientia. Hinc*

Respondeo ad I. concedendo totum ; nemo ex ⁵⁷ Authoribus nostris unquam id docuit, cùm Evangelium

lium sit expressè contrarium juxta cit. textum *Ioan. 3.* & ex illo Tridentini allegatum.

Respondeo ad II. Conciliū Florentinum esse potius pro nobis; nam hoc ipso, quod decedentes adulti cum peccato mortali, & infantes cum solo originali decedentes poenitēs di- sparibūs sint puniendi, recte inferimus, infantes ex eo di- ci in infernum descendere, quod patientur solam poenam damni, illos autem utramque, & damni, & sensus. Dein post multam indagationem illa formalia non inveni in mea saltem editione Lugdunensi Anno 1564. per Fratrem Bartholomaeum Carranzam Ord. Prædicatorum. Sed quidquid sit, ille descensus est juxta Trident. intelligen- dus. Hinc

Respondeo ad III. Tridentinum nihil velle, quām- poenam damni, ut ex terminis patet. Quod verò Flo- rentinum loquatur de *inferno*, ex sententia olim comuni provenit, infantes tertium inter infernum damnato- rum, & purgatorium esse habituros locum, uti habue- runt olim Patres veteris Testamenti limbum; quamvis hodie multi defendant, parvulos post diem judicii terram incolituros.

Ad IV. ex S. August. patet ex dictis; quoad alios SS. PP. à Bellarmino citatos dico, nullum ex illis juxta verba ab ipsomet allegata dicere, parvulos damnatos esse, & utramque poenam sustinere; certe S. Prosper, qui erat Discipulus S. Augustini, & vel ideo majoris Authorita- tis est, lib. 2. de vocatione Gentium cap. 8. aliud non dicit, quām tantam multitudinem parvolorum relictam esse ex- tra vitam æternam. S. Fulgentius ait, *Parvulos æterna damnatione retineri*, rationem autem præmittit, quod parvuli nec habeant bona, nec mala ex propria volunta- te: ergo ipsis non tribuit aliam, quām poenam damni; illa enim sensus respondet peccatis actualibus juxta S. Th.

Vc-

Venerabilis Beda in *Commentario in cap. 14. Joannis*, tantum dicit, quod parvuli sine Baptismo in Regnum Cœlorum ingredi non possint. S. Anselmus *lib. de Concept. Virg. cap. 27.* ait : *Si originale peccatum aliquid est, necesse est, omnem hominem in eo natum, illo non dimisso damnari.* Ista propositio tam parvum quid probat, ut nulla minus ; nam est conditionata : *si peccatum est ?* est quidem peccatum, sed non personale juxta saepius dicta, cui respondet poena sensus, & ideo poenam *damni* per damnationem tantum ponit in privatione visionis Divinæ.

S. Bernardus ait : *Infantes perire, si non baptizentur.* Utique pereunt in hoc sensu, quod vitam æternam nunquam sint adepturi, non vero pereunt, ut poenam sensus patientur. Ergo ex ipsis formalibus, à Bellarmino ad ductis, nihil efficaciter, immo mihi nec quidquam probabilius contra nostram sententiam affertur.

Porrò de S. Augustino non habet Bellarminus, cur tantum sibi blandiatur, & gloriatur, cum saepius aliter dixerit, præsertim *lib. 5. in Julianum cap. 8.* ait : *Non dico, parvulos, sine Christi Baptismo morientes, tantâ poenâ plectendos esse, ut eis non nasci potius expediret :* ex quo sic arguo : si juxta S. Augustinum parvuli, & poenam damni, & poenam sensus patientur, tunc melius ipsis fuisset non nasci : ergo quia dicit, tantam poenam non esse, ut ipsis melius esset, non nasci, non potest intelligere aliam poenam, quam illam damni; nam, si nunquam fuissent nati, utique fuissent saltem privati visione, non tamen afflictiva, cum non entis non sit passio ; cum ergo infantes nati quidem sint, nec tamen personaliter peccaverint, privantur visione, nec tamen inde affliguntur, multo minus cruciantur poenâ inferni. Insuper S. Augustinus *cap. 93. Encyclie* docet, parvulos ob peccatum originale poenâ omnium mitissimâ puniri, sic enim sonat textus ejus in formalibus :

Mitissima sane omnium poena erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt, & in ceteris, qui addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem. Jam subsumo: sed poena ignis perpetua dici non potest mitissima, cum infinito excessu omnes poenas purgatorii superet. Ne quid dicamus de tormentis omnium SS. Martyrum, quæ respectivè ad ignem inferni vix dici possunt tormenta; cum finiti ad infinitum à parte post non sit proportio; quo ergo sensu dici potest damnatio parvolorum poena mitissima? Crediderim, S. Augustinum nudam intellexisse poenam damni, neutiquam afflictivam. Hinc

*Ut, quantum fieri potest, res fiat per divisionem
clarior*

58 Dico II. contra Bellarminum, & alios, parvulos propter amissionem Visionis Divinæ, & Beatificæ nullam pati tristitiam, aut afflictionem. Conclusio est expressè utriusque Doctoris tam Angelici, quam Subtilis, ut vel ideo hæc opinio ab Authoritate, & consensu horum præcipuorum Doctorum nobis videatur Theologieè propè certa.

Ratio est: nemo est, qui de carentia boni, ad quod nunquam erat aptus, & proportionatus, prudenter tristatur: sed parvuli nunquam fuerunt apti, & proportionati ad visionem Divinam: ergo prudenter tristari, & affligi non possunt de ejusdem carentia. Maj. utique est certa; quis enim ex nobis prudenter tristatur, quod non sit Rex Poloniæ, vel quod Poloni de illo eligendo non cogitent? Ego certè non tristor, quod Papatûs, aut Caesareæ Majestatis carentiam habeam, aut quod Archi-Episcopus Salisburgensis non sim. Et sic de aliis. Et hæc est

ratio S. Thomæ cit. quest. 5. de malo. art. 3. ubi loquens de parvulis ait: *Sciendum est, quod ex hoc, quod caret aliquis eo, quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit recte rationis: sicut nullus sapiens affligitur, quod non potest volare, sicut avis; vel quia non est Rex, vel Imperator, cum sibi non sit debitum: affligitur autem, si privaretur eo, ad quod babendum aliquo modo aptitudinem babuit.* Et postea docet, quod tristitia solùm affligat illos, qui per gratiam, & liberum arbitrium fuerunt proportionati ad vitam æternam consequendam, vel qui poterant se præparare ad gratiam, ut adulti: dein infert pro parvulis: *Pueri autem nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam æternam haberent; quia nec eis debebatur ex principio naturæ, cum omnem facultatem naturæ excedat:* & ideo nihil omnino NB. dolebunt de carentia visionis Divinæ, in N.B. magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de Divina Bonitate, & perfectionibus naturalibus. Ex quibus habetur I. parvulos non tantum non habituros tristitiam. II. sed potius gaudium de Bonitate Divina. III. quod S. Thom. parvulis, si non concedat beatitudinem quandam naturalem, quæ juxta Authores, parvulis faventes, in illo gaudio, & perfectionibus naturalibus consistit, saltem non abneget.

Idem re ipsa docet Scotus in 2. sent. distinc. 33. quest. unica num. 2. ubi, postquam adduxit Magistrum Sententiarum in Littera, & S. August. in Enchirid. quod poena sit mitissima, ait: *blic videtur Magistrorum esse Sententia, quod damnati pro solo peccato originali nullam habebunt poenam sensus exterioris, puta, ignis; qui nullam delectationem inordinate habuerunt, cui delectationi correspondet acerbitas ignis affigentis, ut propria poena, quæ est in re ipsissima ratio S. Th. quod vero hæc sit mens Doctoris Subtilis, ex rationibus adjectis colligitur; nam ibi argumentatur I. quod, si parvuli tristarentur de ammissione beatitudinis, cum desperarent*

rent de ea, haberent gravissimam poenam , & hoc ideo II. quod simpliciter sit major poena tristitia homini, quam aliqua poena sensus ; quia cum voluntas magis sit appetitus hominis, quam sensitivus, ita simpliciter magis agit, & patitur, quam secundum alium appetitum, scilicet inferiorem. Denique concludit : *Et ita non videtur, quod sit ponenda in eis aliqua tristitia.* Et num. 3. ibi ad questionem de cognitione parvorum habenda, postquam dixit, eos in cognitione non impediri, ait : *videtur probabile, concedere, quod omnium naturaliter cognoscibilium possunt naturaliter cognitionem babere excellentius, quam aliqui babuerunt pro statu isto,* & ita aliqualem beatitudinem naturalem de DEO cognito in universali poterunt attingere.

Dein ad argumentum S. Augustini in *Enchirid. cap. 23.* dicentem : *firmissime tene, & nullatenus dubites, qui sine Sacramento Baptismi de hoc seculo transirent, eterni ignis supplicio puniendos.* Quamvis haec intelligi possent de adultis, non solum originali, sed etiam peccatis actualibus obnoxiiis, illum tamen S. Bonaventura intellexit de parvulis, ut habetur in Scoto, cum solo originali morientibus, & ideo respondet, quod Augustinus excessivè loquitur de illis pueris. Et sic habemus pro nostra sententia tres nobilissimos Doctores , S. Thomam Angelicum, Bonaventuram Seraphicum , Scotum Subtilem præter alios etiam SS. PP. & Doctores, quos Cardinalis Sfondrati in *nodo prædict.* allegat part. i. Ne verò videamur sine fundamento superius dixisse , quod S. August. propter diversos Adversarios diversa sèpè dixerit , testatur etiam Scotus ad I. argumentum ex illo, ubi ait : *frequenter Sancti extinguendo contra se heres pullulantes excessivè locuti sunt, volentes declinare ad aliud extrellum :* & ita multum ponderandum est, contra quos hereticos Sancti sunt locuti : sic Augustinus contra Arium , videtur quasi declinare ad Sabellium , & è converso, similiter vi-

detur contra Pelagium declinare ad Arium, & è converso. Et hoc monet etiam Cardinalis Sfondrati *cit. lib. quoad S. Augustinum*, ut conciliet alicui Sententiae Authoritatem, attendendum esse, contra quem, & in qua materia, quibusque in circumstantiis loquatur. Certè S. Thomas, S. Bonaventura, & Scotus præ Bellarmino, & aliis S. Augustinum non tantum legerint, sed etiam excusserint, & tamen horum nemo in eo legit, vel approbat poenam sensus in parvulis: cur ergò illi soli deferendum sit, non video, præsertim cum variè loquatur, nec sibi constans sit.

Dico III. Peccato mortali actuali respondet poena⁵⁹ damni, & sensus, ac utraque æterna. Quod ultimum est contra Origenem, docentem, poenas aliquando cessatas; quia capere non potuit proportionem inter poenam æternam tam gravem, & inter propè momentaneam delectationem, quod & reverè difficile perceptu esset, nisi fides contrarium doceret. Scriptura de hoc est expressa in illis: *Ité maledicti in ignem æternum: Ignis eorum non extinguetur.* Ratio pro utraque parte S. Thomæ hic est, quod in peccato mortali duo sint, scilicet conversio ad creaturam, ut supra dixit, & aversio à DEO; utriusque autem respondet poena sua, jam explicata, damni nempe, & sensus. Ratio autem nostra pro æternitate utriusque poenæ est: quamdiu nec aversio à DEO, nec conversio ad creaturam tollitur, tamdiu manet reatus ad poenam æternam: sed in homine in peccato suo moriente nunquam tollitur: ergò reatus, & ipsa poena manet in æternum. Estque hoc, ut ita dicam, per accidens ratione statu in homine moriente, qui, cum per mortem in peccato mortali constituatur immediate in termino, non amplius est capax poenitentie, & consequenter retractationis; quam tamen utramque potuisset habere in via.

Po-

Potest etiam addi ratio, quam tamen judico solum probabilem ex S. Thom. docente, quod cum mortale peccatum sit deordinatio circa finem ultimum, tanquam principium vitae spiritualis, necessariò inferat damnū irreparabile: sed si damnum est irreparabile, manet æternum: ergo cum damnum illud sit in utraque poena tam damni, quam sensus, utraque est æterna. Loquimur autem hic semper de termino extra hanc vitam; nam quamdiu homo constitutus in via est, damnum illud est reparabile, & manet solum reatus ad poenam temporalem purgatorii, nisi per satisfactionem, opera penitentiae, & actus virtutum etiam ille extinquetur. Hæc tamen poena non est simpliciter infinita; de poena sensus est certum ex Philosophia, ubi nullum infinitum categorematicum admittitur, nec qualitas infinita uictiva, vel aliter afflictiva, admittenda tamen est infinitas syncategorical ratione æternitatis à parte post.

60 Dices I. ex S. Augustino dicente, DEUM plus exigere in poenis, quam fuit commissum in culpis, & revera, ut diximus, non videtur proportio inter temporale, & æternum.

Respondeo, S. Augustinum tantum intelligere inæqualitatem rei, non meriti, ut ipsum explicat S. Thom, id est, majus esse damnum, quod homo patitur, quam fuerit lucrum, & gaudium in peccato habitum.

Urgebis: Conversio ad creaturam non est per se malitia, consequenter non debetur ei specialis poena, & pro in sufficit sola poena damni; nam poena ad substantiam gravis esset annihilationis, privans omni bono tam formæ, quam subjecti: ergo saltem ex ratione non probatur efficiaciter poena æterna.

Respondeo: Conversionem ad Creaturam non quidem esse malam secundum se, malam tamen, quatenus est con-

conuncta cum aversione à DÉO, cui ex dictis respondet poena: hinc juxta S. Thomam dicendum est, conversioni *inordinate* correspondere poenam sensus, non ordinatae: & quia illa conversio ad creaturam annexam habet aversionem, peccatum excipit utraque poena: annihilation autem aliud non est, quam carentia totius esse, quod est beneficium DÉI; nego autem eam esse poenam quoad substantiam graviorem; nam poena damni & sensus hominem constituunt in eo statu, quo melius ipsi foret non esse, quam esse. Hinc Christus de Iuda proditore dixit Math. 26. v. 14. *Vébomini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* In sensu quodam physico certè posset annihilation dici maximum naturae malum, quia privat omnium esse, quod huc non quadrat: certè nullus ex damnatis est, qui non mallet destrui, quam esse in inferno semper duraturo.

Dices II. Peccatum grave majus esse malum, quam poenam æternam: ergo non potest respondere ei poena adæquata.

Respondeo, Malum culpæ esse quidem majus moraliter, & quia Ordinis altioris est, poenam tamen esse physicè sufficientem, quatenus in ratione supplicii in infinitum vindicat malum culpæ. Potest etiam in certo sensu dici, damnatos satispati, id est, sufficienter pati per æternitatem pro malo culpæ; quamvis non ita satispatiantur, ut aliquando debeant cessare poenæ, ut erroneè putavit Origenes.

Quæres pro coronide, quid de peccato veniali dicendum sit? Certum est de fide, quod & veniali debeatur aliqua poena temporalis in purgatorio, tam sensus, quam damni, quatenus ad tempus impedire, quod minus anima possit pertingere ad visionem DÉI, quia nihil coquinatum intrare potest in Regnum Cœlestis; & nemo

A a


ex

ex carcere purgatoriū dimittitur, donec ultimum quadrantem solverit. De poena sensus patet insuper ex usu Ecclesiæ, orantis pro animabus in purgatorio, ut à peccatis, & poenis solvantur. Potest etiam veniale in hac vita deleri, ut iterum certum est. Unum valde controversum est inter Scholas, an si quis moriatur cum peccato mortali, cui conjunctum est aliquid veniale, illud puniatur in æternum per *accidens* tantum, cum non possit retractari; & vel dimisso quidem veniali in hac vita, quoad culpam, maneat tamen adhuc reatus ad poenam?

Quoad primum est communis Sententia Thomistarum cum S. Doct. *quest. 7. de malo artic. 10. in Corp. docentium*, veniale puniri in æternum per *accidens* in inferno. Ratio hujus Sententiae, quam cæteri plerumque extra Scholam Thomisticam severam appellant, est hæc: tamdiu non tollitur reatus ad poenam, quamdiu manet culpa: sed culpa non tollitur: ergò nec reatus ad poenam, qui in culpa fundatur. Maj. ex ratione adjecta suppono. min. prob. nunquam juxta modernam providentiam, culpa tollitur, nisi retractetur: sed à damnatis non retractatur, imò nec retractari potest: ergò semper manet, consequenter & poena. Possent plures rationes addi, quæ tamen omnes reducuntur ad primam.

Quoad secundum Respondeo, quod in homine justo, & in gratia moriente adhuc maneat reatus ex peccato veniali ad poenam, satispassio tamen denique extinguat reatum; atque hoc puto esse certissimum, & de fide; quia per purgatorium deletur reatus ad poenam in mortalibus retractatis: ergò à fortiori in venialibus. Antec. est Catholicis certum; aliàs inane esset purgatorium ad extinguendum reatum in mortalibus, nisi esset etiam in venialibus.

PARS



P A R S III.

De Statu Naturæ Reparatae.

Status iste alias etiam dicitur Status GRATIÆ, quia post Passionem amantissimi Salvatoris nostri JESU CHRISTI, ejusque merita gratiarum munera in fidèles abundant secundum illud Rom.5. v.15. *Nos sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicti multi mortui sunt: multò magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis JESU CHRISTI in plures abundavit.* Et v. 18. ait Apostolus, quod, *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem transit ira, sic per unius justitiam in omnes homines transferit gratia in justificatione vite.* Et clarissime ibidem, v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Passio ergo Domini sicut nobis aperuit viam justitiae, ita Cœlum, antea clausum, reseravit, ut adeò illa fuerit & necessaria, & sola, per quam venia peccatorum & rogarri, & impetrari possit, illudque commune peccatum per Baptismum deleri. Cujus Passionis effectum solitâ eloquentiâ expressit S. Leo Papa Serm.1. de Passion. Domini: *Post illam humane prævaricationis primam, & aniversalem ruinam, ex qua per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: nemo dominationem diaboli, nemo vincula diræ captivitatis evaderet, nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam, aut redditus pateret ad vitam, nisi coæternus, & coæqualis Patri DEO Filius DEI, etiam hominis Filius esse di-*

gnaretur: veniens querere, & salvare, quod perierat, ut ficut
per Adam mors, ita per Dominum nostrum JESUM Christum es-
set resurrectio mortuorum. Unde de fide certum est, quod
Christus pro nobis omnibus satisfecerit, DELENS,
QUOD ADVERSUS NOS ERAT, CHIROGRA-
PHUM DECRETI, ET QUOD ERAT CONTRA-
RIUM, ET IPSUM TULIT DE MEDIO, AFFI-
GENS ILLUD CRUCI. *ad Coloff. 2. v. 14.* Et *ad Titum 2.*
v. 14. DEDIT SEMET IPSUM PRO NOBIS, UT
NOS REDIMERET AB OMNI INIQUITATE,
ET MUNDARET SIBI POPULUM ACCEP-
TIBLEM, SECTATOREM BONORUM OPERUM.
Incarnatio igitur, & Passio Domini salutis nostræ princi-
pia sunt; sed, quia de ipsis jam egimus in speciali Tracta-
tu, scilicet de *Mysterio Incarnationis contra Hereticorum erro-*
res, nec licet, nec lubet, aliqua ex iis repetere, & ideò ad
Sacramenta convertimur; quia licet merita Christi sint
infiniti valoris; non tamen ad extinguenda peccata con-
ducent, nec ad Coelum deducent, nisi virtutem suam
per Sacramenta diffundant, quæ juxta S. Thomam *in Pro-
log. de Sacramentis*, ab ipso Verbo Incarnato efficaciam ha-
bent, ut suprà in 2. part. quest. 1. artic. 3. num. 10. & 19. dixi-
mus. Elegantiùs S. Doctor loquitur lib. 4. ad *Hannibal-
dum in Prolog.* Latere Christi, in Cruce pendentis, aperto, in
quo sunt omnes Thefauri Sapientie, & Scientie DEI abscon-
dicti, ut dicitur *ad Coloff. 2.* Profuxerunt Sacramenta, qui-
bus Ecclesia constituitur, & per quæ in Coelum evolatur. In
his igitur post Incarnationem, Passionem, & Mortem
Christi Statum Nature Reparate
ponimus.



QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Quidditate Sacramenti tam Meta- physice, quam Physica.

Materiam hanc S. Doctor pertractat in 3. part. à quest. 60. usque ad 84. exclusivè, & quest. 1. agit de Essentia Sacramenti ut sic, in altera de necessitate &c. ad cuius Mentem conformiter sit

ARTICULUS I.

Quid nominis, & rei sit Sacramentum?

Supposita varia hujus nominis acceptione, vel pro iuramento, ut apud Milites, qui fidem suam Ducibus obligant sub Sacramento militari, aut pro re occulta, & abscondita, ut passim in SS. Litteris accipitur, præsertima Tobiae 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Vel deinde in sensu Theologico pro signo rei sacræ: de hoc S. Doctor in artic. 1. statim quærerit, utrum *Sacramentum sit in genere signi?* & quia hoc signum denotat pro significato aliquid Sacrum, non potest intelligi sine habitudine ad illud Sacrum: habitudo autem est diversimoda, cuius exemplum S. Doctor hic in Corp. adducit sanitatem, ad quam, velut significatum varia est habitudo; Subjectum enim respicit illam ut rationem formalem intrinsecam: Medicina ut causa effectiva: Diæta ut conservativa, urina verò, ut loquitur S. Thomas, in quantum est significativa ipsius. Principaliter S. Thomas discurrit de Sacramento, habitudinem diversam dicente ad illud Sacrum, vel ad Sanctitatem: hæc autem Sanctitas alia est perfecta, & completa, quæ provenit formaliter intransfertivè

tivè à gratia Sanctificante, alia est imperfecta, & dicitur legalis, quæ hominem tantum materialiter, & extrinsecè Sanctum denominat; ita olim in veteri testamento vi ordinationis ad cultum Divinum Sancti erant Sacerdotes, imò etiam illi habebantur legaliter Sancti, qui de gente Judæa erant. Unde non licuit Judæis uxores duccere alienigenas, utpote legaliter immundas. Similes deputationes hodie, ut docet hic *num. 2.* Theologia Salisburg. sunt Benedictio Abbatum, prima Tonsura &c. Quibus suppositis

2 Dico I. Sacramentum Theologicè acceptum est essentialiter in genere signi, & quidem ad placitum.

Prima Conclusionis pars est expressa S. Thomæ *boc art.* per totum, & Ecclesiæ ex Scriptura, Conciliis, & SS. PP. quæ cùm notissima sint, non indigent expressa tex-tuum mentione. Et ratio videtur clara; nam signum-instrumentale, de quo loquimur, præter sui speciem aliud sensibus ingerit: sed Sacraenta præter sui speciem aliud sensibus ingerunt: ergo sunt signum instrumentale. Maj. suppono ex Philosophia, & doctrina Sancti Augustini *lib. 2. de doctrina Cbrift. cap. 1.* quem rectè, & integrè allegant Sal-manticenses hinc *num. 15.* ad finem: *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliud à se faciens in cognitionem venire.* Min. est Catholicis nota de Sacramen-tis in specie: sic Baptismus præter ablutionem & formam, quam sensibus ingerit, facit in cognitionem venire ablutionem animæ ab originali per gratiam, & sic de aliis; nec aliter de Sacramentis veteris Legis; nam & circumcisio ex-terior se ipsam in cognitionē adduxit & justitiam fidei juxta illud *Roman. 4. v. 11.* *Signum accepit (scilicet Abraham) circumcisionis signaculum justitiae fidei.* Ex quo patet, con-clusionem procedere de Sacramentis utriusque Testa-menti in ratione præcise signi.

AL

Altera conclusionis pars ex eo probatur, quod omne ex se indifferens ad significandum hoc, vel aliud determinari debeat, ut aliquid determinatè significet: sed Sacra menta, vel res illæ, & verba ex se erant indifferentia ad hoc, vel illud significandum: ergo Sacramentum est signum ad placitum. Estque hæc mens S. Thomæ hic art. 5. ad 2. postquam in Corp. cit. art. docuisset, quod non in potestate hominis sit assumere res, quibus sacrificetur, sed quod debeat ex Divina institutione determinari; deinde ad 2. de rebus sensibilibus ait: *ad sanctificationem non ordinantur ex aliqua virtute sibi naturaliter indita, sed solum ex institutione Divina, & ideo oportuit divinitus determinari, quibus rebus sensibilius sit in Sacramentis utendum.*

Quæ licet apud communem Theologorum, & sensum Ecclesiæ verissima videantur, & sint, non tamen defunt, qui Sacramentis vim naturalem significandi vel actu tribuant, vel saltem possibilem adstruant. Primi se fundant in S. Augustino Epist. 24. ad Bonifacium apud Salmantenses hic num. 9. ubi S. Doctor ait: *Si Sacra menta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacra menta sunt, non haberent, Sacra menta non essent: ergo ideo Sacra menta sunt, quia cum significato similitudinem habent: subsum: sed similitudo fundat signum naturale: ergo juxta S. Augustinum Sacra menta sunt signa naturalia.* Forsan non incongruè confirmari posset opinio ex communi TT. Sententia, quod scilicet causæ instrumentali ut quod correspondeat naturaliter actio aliqua prævia; Sacra menta verò, saltem novæ legis, sunt causæ instrumentales gratiæ: ergo ipsis correspondet actio prævia: sed illa ex. gr. ablutio exterior ideo tantum talis est, quia habet similitudinem cum interna ablutione: ergo similitudo naturalis fundat illam significationem, non sola institutio.

Re-

Respondeo ad Authorit. S. Augustini, illum loqui de moderna providentia, in qua DEUS voluit uti talibus rebus, quæ haberent similitudinem impropriam, vel aliquam convenientiam cum significato, in quo sensu reduplicatae voluntatis Divinæ ideo sunt Sacra menta, alias non futura; sed tamen hoc ipsum ex sola ordinatione Divina procedit; & si quid aliud evincitur, aliud certè non, quām decentia aliqua, vel congruitas, in qua DEUS respexit ad nostrum sensibilem intelligendi modum; non autem ultra necessitas, aut exigentia intrinseca rerum, ut potius præ aliis assumerentur, cùm DEO liberum fuerit ad Baptismum instituere pro materia vinum, aut alium liquorum, relicta aqua naturali. Et hæc responsio fundatur in S. Thoma h̄ic quæst. 64. art. 2. ubi ex professo querit, utrum Sacra menta sint solum ex institutione Divina, & resolvit affirmativè; dein ad secundum simili objectioni sic occurrit: *Res sensibiles aptitudinem quandam habent ad significandum spirituales effectus ex sui natura* (in quibus videatur convenire cum S. Augustino) *sed illa aptitudo determinatur ad specialem significationem ex institutione Divina*. Quid hoc aliud est, quām decentia, & congruitas? & demum apertere pro nobis concludit: *Praelegit tamen DEUS quasdam res præ aliis, non quia ad eas contrahatur ejus affectus* (ecce! non admittit vim naturalem significandi effectum) *sed ut sit convenientior significatio, scilicet nostro intelligendi modo*.

Ad confirmationem ex causa instrumentalí petitam patet responsio ex dictis; licet enim ablutio e.g. exterior in Baptismo, vel Unctio corporalis in Confirmatione suò modò sint actiones præviæ ad ablutionem, & unctionem animæ per gratiam, hoc tamen solum provenit ex ordinatione Divina; quia utraque actio ex se est indifferens ad significandam gratiam, vel aliud: & hinc falsum est, quod fundet significationem naturalem, sed solum ex ordi-

d̄natione Divinā , quæ clariora fient infrā de causalitate Sacmentorum.

Secundi , inter quos eminet Cardinalis de Lugo h̄c 5
fct. 3. num. 29. nituntur principio negativo de non impli-
cantia , & hinc licet defacto Sacmentis vim significandi ex placito admittant , de possibili tamen defendunt
significationem naturalem propter connexionem , quam
cum gratia haberent. Pro quo

Lugo arguit sic I. Character tanquam qualitas ex sua
naturali entitate ordinatur ad gratiam sacramentalem si-
gnificandam : ergo potest & alia qualitas , vel res sensi-
bilis per suam entitatem ordinari ad gratiam. II. Non
obest materialitas rerum ; nam dotes corporis gloriose
habent ordinem intrinsecum ad visionem beatificam , &
sic etiam ad gratiam , quæ est radix visionis : ergo.

Respondeo , omissis aliorum responsionibūs , ex his nī-
hil probari , quod res aliqua purè sensibilis naturalis pos-
sit habere connexionem cum gratia , quæ in applicatione
illius conferatur , & de hoc est quæstio. Quod de cha-
raktere dicitur , non est ad rem ; est enim & ipse effectus
Sacmenti secundarius , & vel ideo cum gratia , quan-
tum est de se , connexus , utrum dein sit entitativè na-
turalis , vel supernaturalis , hīc examinare necesse non
est. De dotibus corporis gloriose multi ex nostris cum
Clarissimo P. Mauro Liechtenhaimb de *Sacramentis* disp. I.
artic. 4. negant , quod habeant naturalem connexionem
cum gloria , radicaliter proveniente à gratia , sed quod
dentur ex liberalitate DEI , actus meritorios per easdem
proemiantis. Et si tantam connexionem habent cum
visione beatifica , cur non habuerunt in Christo , qui
visione , ejusque radice gratiā gaudebat , nec tamen do-
tibūs corporis gloriose ?

6 Dico II. Sacramentum in esse signi non est ens rationis. Est contra Gonet, Wenzl, Vasquez, & alios, etiam Thomistas.

Ratio est, quia tota ratio habetur sine fictione intellectus : ergo non est ens rationis. Prob. antec. Ratio signi pro materiali importat rem, & pro formalis institutionem ad placitum : sed tam subjectum, quam forma in hoc concreto extrinseco habetur sine fictione : ergo tota ratio signi &c. Maj. suppono ex signis aliis e. g. in hedera significante vinum vendibile, ex cauda equina appensa apud Turcas bellum inferendum insinuante. Hoc non abnuo, fieri posse ens rationis ab intellectu, relationem subjecto ad terminum affingente ; sicut ex concreto extrinseco murus visus fieri potest denominatio intrinseca per afflictionem visionis intrinsecè receptæ in viso, sed hoc gratis fit.

Nec urgebis ex Logica, ubi ratio speciei, aut generis ad sua inferiora habetur per ordinem intentionalem ; nam ibi agitur de secundis intentionibus tanquam specificatiyis habitus Logicæ, & conformiter ad doctrinam Aristotelis, & S. Thomæ, licet in Philosophia admiserimus illa omnia (stando præcisè rationi) salvari posse per denominationem extrinsecam, quidquid aliis videatur. Si queris, quid à parte rei sit hæc institutio, vi cuius Sacra-menta significant gratiam ?

Respondeo, esse volitionem, vel Decretum DEI, aut si placet, legem Divinam, volentis, ut Sacra-menta significant hoc, & non aliud : sicut verborum, aut idiomatis novi institutio aliud non est, quam voluntas hominum, afficiens vocem, ut hoc potius, quam aliud significet. Erat enim e. g. vox homo purè indifferens, ut significaret equum vel leonem, sed per voluntatem hominum obtinuit, ut significaret hominem, & non aliud,

un-

unde habetur & subjectum, & forma, materialiter perseverans, & in percipientibus speciem excitans, ut hoc potius, quam aliud intelligent.

ARTICULUS II.

Quale signum sit Sacramentum?

Sacramentum esse signum sensibile faltem pro moderatione Providentia tanquam certum suppono de fide ex Conciliis Florentino, & Tridentino; an vero sit ita Sacramento essentialis sensibilitas, ut sine eo dari non possit, non levis contentio est. Affirmatim cum aliis Thomistis tenent Joannes à S. Thom. Suarez, Bellarmius, & alii Recentiores cum nostro Sayro.

Ratio I. desumi potest ex S. Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 11. ubi docet, *homines in nullum Religionis nomen coaduniri, nisi aliquo signaculorum, aut Sacramentorum visibili confortio*: sed Sacraenta ex se talem fidelium unionem respiciunt: ergo essentialiter sunt signa sensibilia. Min. colligitur ex eo, quod DEUS defacto Sacraenta in sensibilibus instituerit ad constituendam Ecclesiam, & ad distinctionem fidelium ab infidelibus, ut denique per sensibilia accedamus ad intelligibilia.

II. Ex S. Chrysostomo Hom. 83. in Matth. ubi ait, DEUM respicere convenientiam rerum: *si esse incorporeus, ipse dona incorporea tradidisset, sed quia corpori conjuncta est anima tua, ideo in rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* III. Quia Sacramentum debet aliud à se distinctum indicare, & vel ideo debet illo altero esse notius: sed nisi sit sensibile, non erit notius; nam res spiritualis, quæ haberet in altera sententia rationem Sacramenti, est occulta, & æquè ignota, ac illa, ad cuius cognitionem ordinaretur.

8 Negativa videtur communior, eamque expressè tenet Theologia Salisburg. hic *num. 6.* cum Gonet hic *art. 4.* à *num. 60.* quam etiam communiter tenent Nostri Salisburgenses.

Ratio potissima est ex possibiliitate absoluta, cui non potest opponi repugnantia; nec enim DEUS alligatur in ordine ad communicationem gratiæ certis signis, quod ex eo convincitur; nam juxta AA. Sacra menta sunt signa ad placitum DEI, scilicet pro hac providentia, & non aliter volentis: ergo hoc ipso potuisset DEUS uti aliis rebus ad significandam, & conferendam gratiam pro alia providentia; quid enim prohibet, quod minus DEUS possit actum internum adorationis, vel orationis mentalis elevare ad significandam, & causandam gratiam, cum DEO liberum sit, gratiam cum hac vel alia dependentia communicare?

Confirmatur: defacto DEUS instituit Sacra menta in rebus sensibilibus, quia sunt connaturales conditioni humanæ: ergo etiam potuisset instituere in spiritualibus, quia sunt connaturales conditioni Angelicæ. Consequen tia tenet; quia utique DEUS potuisset per Sacra menta consulere Angelis. Nec defuisset ibi mutua communica tio, si DEUS actu interno alligasset gratiam, quem actum unus Angelus potuisset communicare alteri, per quem intellexisset collationem gratiæ.

9 Ad rationes oppositas dicendum est, eas pugnare pro moderna providentia, & sic intelligendos SS. PP. Augustinum, & Chrysostomum; nec aliud ex S. Thoma evincitur; nam licet hic in *art. 4.* per totum probet, quod Sacra menta semper sint aliquæ res sensibiles, id tam solùm ostendit ex eo, quod Sapientia Divina unicuique rei providet secundum suum modum; cum autem hominum modus sit, ut per sensibilia proveniant in co-

cognitionem intelligibilium, rectè S. Doctor infert: *consequens est, ut per alias res sensibiles significatio Sacramenti impleatur.* Conveniens scilicet est, & connaturale, sed non necessarium. Unde manet in possessione possilitas, & argumentum pro Angelis ex eadem connaturalitate ratione.

Ad rationem tertiam respondent Salmantenses hic art. 4. mao. 7. quòd talis res spiritualis licet esset occulta, posset tamen magis esse nota, si assumeretur aliquid spirituale naturale; nam sicut res sensibilis est magis nota, quam spiritualis, ita spiritualis purè naturalis esset magis nota, quam supernaturalis; res tamen naturaliter spiritualis folūm diceret convenientiam cum gratia ex institutione Divina, sicut modò res sensibilis.

Dices contra confirmationem secundæ sententiae, instantiam de Angelis esse contra statum quæstionis, quæ solum vertitur de Sacramentis hominem concernentibus.

Respondeo, saltem exinde sequi, rationem sensibilitatis non esse de essentia Sacramenti *ut sic.* Dein posset DEUS in particulari instituere Sacramentum pro uno solum, ita, ut non respiceret coetum fidelium; nec enim de essentia est illud Augustini, quòd signum debeat esse commune, & respicere communitatem, modò faciat aliud præter se in cognitionem venire, verba namque S. Doctoris accipienda sunt de moderno statu; ex quo consequitur, Sacramentum in insensibili re institutum, non fore ejusdem rationis cum Sacramento hujus providentia.

Ad qualitatem signi etiam spectat, an sit practicum respectu gratiae, & quidem in ejusdem usu conferendæ?

Respondeo ad utrumque affirmativè. Ratio est ex notione signi practici contra speculativum; nam illud non

tantum significat rem, ut: *imago*, sed etiam positionem alicujus rei: sed Sacramentum non tantum significat gratiam quomodocunque, sed etiam ejusdem positionem in usu significationis: ergo non est signum merè speculativum, sed practicum; quod verò ex eo rectè dicatur signum practicum, communiter confirmatur à paritate intellectus practici, qui ex eo dicitur talis, quod non solum quiescat in contemplatione veritatis, sed ulterius ordinetur ad operationem, vel effectum aliquem; nec refert, an effectus ille ponatur ab ipso signo influente, vel ab alio ad positionem signi, in quo abstractimus à Sacramentis Veteris, & Novæ Legis; nec etiam sufficeret, si Sacraenta solum aliquam dispositionem ad gratiam significarent, ut aspersio aquæ benedictæ, consecratio Altaris, & similia, ut sibi hic art. 2. objicit S. Thomas; nam ad 3. utrumque illud rejiciens ait: *quæ significant dispositionem ad sanctitatem, non dicuntur Sacraenta; sed solum ea, quæ significant perfectionem sanitatis humanae, quæ scilicet habetur per gratiam sanctificantem, non merè legalem, & extrinsecam.*

Ratio secundi est: quod est distinctivum Sacramenti ab aliis signis facris, quæ tamen Sacraenta non sunt, pertinet ad ipsius esse: sed gratiam conferri in usu Sacramenti, est ejusdem distinctivum: ergo pertinet ad ipsius esse. Maj. suppono ex Philosophia. Min. suadetur, quia in veteri Testamento multa fuerunt signa, quæ vel Christum, vel gratiam, quæ modò nobis in statu gratiæ confertur, significabant, nec tamen fuerunt Sacraenta propter solam significationem gratiæ utcunque. Cujus exemplum dat S. Thomas in 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 2. quest. unica ad 8. *Quamvis serpens eneus effet signum rei sacrae sacrantis, non tamen, in quantum sacraus est actu; quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis sanctificationis effectus perciperetur: ergo distinctivum Sacramenti ab aliis signis est, quod in ejus applicatio-*

tione aliquis sanctificationis effectus, qui est gratia, vel ejus augmentum, percipiatur.

Dices I. cum Suarezio, Lugone, & non paucis Thomistis: Sacraenta Veteris Legis non significabant gratiam de praesenti, & tamen juxta communem erant vera Sacraenta: ergo ad rationem distinctivam Sacraenti ab aliis non pertinet, gratiam actu conferri. Ant. prob. si Sacraenta Veteris legis significassent gratiam de praesenti, utique sanctificassent suscipientem, & sic salutem contulissent: sed hoc falsum est juxta S. Augustinum Epistol. 19. ubi de Sacraentis illis ait: *Eis homines non justificantur, umbrae enim sunt, prenuntiantes gratiam, qua justificamur:* scilicet nos in Lege nova: ergo solum erant figuræ salutis modò conferenda. Idem habet Concilium Florentinum post Sejj. ult. ubi de illis ait: *Non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant.*

Nec aliter docet S. Thomas; nam hic quest. 6. artic. 4. ad 3. in fine assignat discrimen inter illa, & nostra Sacraenta ex eo: *Quia illa fuerunt congrua gratiae praefiguranda: bac autem sunt congrua gratiae presentialiter demonstranda.* Clarius id jam docuit antè quest. 38. art. 6. agens de Baptismate Joannis, ubi ad 5. respondebat: *Dicendum quod sanctus Augustinus contra Faustum dicit: Sacraenta nostra sunt signa presentis gratiae, Sacraenta vero veteris Legis fuerunt signa gratiae futurae.* Eandem doctrinam sapientius repetit S. Doctor, ut proin Recentiores recte mirari videantur contrariam Thomistarum sententiam.

Accedit, quod S. Thomas hic art. 2. suprà cit. dicat, gratiam respectu Sacraenti esse causam finalem: sed de ratione causæ finalis non est, esse actu praesentem, alias potius gratia esset causa finalis, praesertim juxta nostram rationem, in qua illa, ut actu conferenda, est distinctiva Sacraenti ab aliis signis: ergo &c.

Re-

Respondeo I. ad argumentum neg. antec. ad probationem dico, antec. esse æquivocum; nam aliud est, ipsa Sacra menta sanctificare, conferre gratiam, quod Sacra menta illa non habebant: aliud est, conferri gratiam, & salutem à DEO in usu ipsius Sacramenti, quod defendimus: atque hinc in priori sensu intelligendus est S. Augustinus: *Eis tanquam causis homines non iustificantur, quod verum est, in quo sensu sunt tantum umbræ respectu Sacramentorum modernorum, quæ juxta Tridentinum Seff. 7. Can. 6. continent gratiam, quam significant, & non ponentibus obicem conferunt.*

Respondeo II. S. Thomam in allegatis textibus non esse contrarium; nam hoc solum vult, quod Sacra menta illa fuerint figuræ hujus gratiæ, quæ modò per Sacra menta causaliter confertur, & hoc apud omnes certum est, in quo sensu intelligendum est Concilium Florentinum, nec tamen Concilium, vel S. Doctor negat, quod illa Sacra menta significaverint gratiam præsentem in usu, quæ quidem non erat effectus ipsius Sacramenti, sed solum data est à DEO propter fidem in Christum venturum. Idem dicendum est ad Catechismum Romanum, quem Adversarii pro se copiosè allegant; negat enim solummodò illis Sacramentis vim cauṣandi gratiam, quam concedit modernis, non tamen negat collationem gratiæ à DEO factam in usu Sacramenti. Ut verò mens S. Thomæ clarius pateat, audiendus est hic quest. 62. art. 6. ad 3. ubi varias Antiquorum de circumcisione opiniones adducit, & suam, quam olim tenuit, quas tamen omnes rejicit concludens: *Et ideo melius dicendum est, quod circumcisio, & alia Sacra menta veteris Legis erant solum signum fidei iustificantis. Unde Apostolus dicit Rom. 4. quod Abram accepit signum circumcisionis, signaculum justitiae fidei, & ideo in circumcisione conferebatur gratia, in quantum erat signum Passio nis*

nis Christi futuræ. ut infrà patebit. Refert autem se ipsum S. Doct. ad quest. 70. art. 4. in Corp. ubi se explicat per disparitatem inter Baptismum, & Circumcisionem : *In Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum Passonis Christi jam perfectæ: in circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisio- nis, sed ex virtute fidei, Et Passonis Christi, cuius signum erat circumcisio.* Cùm autem in primo textu S. Doctor lo- quatur pariter de aliis Sacramentis veteris Legis, in eo- rum usu etiam conferri gratiam consequenter docet. Si Recentiores hos textus rectè considerent, non mirabun- tur contrariam sibi Thomistarum opinionem : multùm profectò inter eos interest, qui profundum S. Thomæ ingrediuntur, & inter canes ex Nilò furtivè lambentes.

Ad additum illud respondeo, negando, quòd juxta S. Thomam gratia sit causa tantùm finalis, est enim & formalis, homines intrinsecè formaliter sanctificans; est insuper formalis ex eo, quòd actu collata in usu Sacra- menti illud formaliter distinguat à signis, non ipsam gra- tiā internām, sed vel legalem, auf' aliud quid extrinse- cum tantùm significantibus. Licet proin gratia habeat... rationem finis, & complementi, ut pater ex processu justificationis, non potest tamen non esse causa forma- lis justificandi in via, licet ordinetur ad gloriam in ter- mino.

Ad qualitatem etiam reducitur, an Sacramentum... II
sit signum stabile, & permanens?

Respondeo. I. Sacra-menta modernæ providentiaz esse permanentia; quia DEUS per illa novam Religionem constituit, duraturatn usque ad consummationem sæcu- li, quod de fide certum suppono; unde etiam ex eadem providentia Sacra-menta nostra re-iplicativè ad providen- tiam Divinam sunt essentialiter stabilia, & universalia pro-

pter Religionem stabilem, & universalem, quæ omnes fideles sub uno visibili Capite per certos Hierarchiæ gradus subordinatos complectitur, quæ omnia ex moderno Ecclesiæ statu Catholicis certa sunt.

Respondeo II. de ratione Sacramenti *ut sic* non esse stabilitatem. Ratio est eadem cum illa, quæ pugnat pro possibilitate Sacramenti in spiritualibus, & fundatur in libertate DEI instituentis, consequenter potuisset DEUS instituere Sacramentum pro privato hic & nunc, nec deinceps valitum.

Quòd Sacraenta non debeant necessariò esse repetibilia, & universalia, illustrari potest exemplò modernorum; nam e.g. Baptismus, Confirmatio, & Ordo reiterari respectu ejusdem subjecti non possunt, licet respectu aliorum: Ordo autem non est universalis, quia excludit foeminas, sicut olim circumcisio, ubi pro foemellis, ab originali purgandis, serviebat fides parentum, & oblatio.

A R T I C U L U S III.

An ad Sacramenti definitionem etiam pertineat ratio causæ?

¹² **A**ffirmativam olim tenuit S. Thomas in 4. *dist. i. questione 1.* ubi definitionem Sacramenti, quam Magister sentent. ibidem adstruxit, sub hac forma approbat: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, ut imaginem gerat, & causa existat: additque in responsi. ad 3.* quòd definitio Magistri completissimè ratione Sacramenti designet. Ideò cit. loc. ad 5. expressè ait: *Sacramentum simpliciter est, quod causat sanctitatem, & deiñ infert: ideo esse causam, potest ponи in definitione Sacramenti.* Quam doctrinam sequuntur multi, præsertim Recentiores cum Suarez-

rezio, Lugone, & Ulloa, & ex parte etiam defendit Gonnet hic art. 1. §. 1. n. 2. si scilicet causa sumatur latè, moralis, vel formalis. Fatetur tamen cit. Auth. num. 7. Sacramentum ut sic convenientius in solo genere signi ponni, non ignarus eorum, quæ S. Doctor habet in Summa hic quest. 60. art. 1. ad 1. ubi disparitatem assignat inter medicinam, & Sacramentum, aitque, illam importare causalitatem respectu sanitatis, non verò Sacramentum, scilicet in genere, & ideo, prosequitur S. Thomas, non oportet, quod Sacramentum semper importet causalitatem. Ac si diceret, de conceptu Sacramenti universim non esse rationem causæ, licet in suis inferioribus subinde eandem contineat: proin in toto articulo tantum probare contendit, Sacramentum ut sic ponni solùm in genere signi.

Dico I. ad definitionem Sacramenti ut sic non pertinet ratio causæ.

Probatur ratione Philosophica: quidquid ponitur in genere essentialiter, debet inveniri in speciebus participantibus genus: sed ratio causæ non invenitur in omnibus speciebus participantibus genus: ergo ratio causæ non pertinet ad rationem genericam Sacramenti. Maj. est ab instantiis certa ex serie prædicabilium. Min. prob. ex cit. Concilio Florentino n. 16. ad finem, ubi negatur Sacramentis veteris Legis causalitas. Idem colligitur ex Tridentino Seff. 7. de Sacramentis. Can. 2. *Si quis dixerit, ea ipsa novæ Legis Sacraenta non differre à Sacramentis antique Legis, nisi quia ceremoniae sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.* Tridentinum autem non est, nec potest esse contrarium Florentino: ergò sicut illud aliquam differentiam in causalitate constituit, ita Tridentinum. Estque clara doctrina S. Thomæ, hic quest. 61. art. 4. ad 2. ubi S. Doctor Sacraenta illa ex Apostolo vocat egena, & infra-ma elementa, quia gratiam non continebant, nec causabant;

subinde de nostris ait: *nōstra autem Sacra-
menta gratiam con-
tinent, & causant, & ideo non est de eis similis ratio.* Ex quo
sic arguo: si ratio causæ esset de conceptu essentiali Sa-
cramenti, tunc quoad conceptum illum genericum esset
similis ratio de Sacrementis veteris, & novæ Legis: sed
juxta S. Thomam non est similis ratio; quia illa non
causabant, nostra verò causant gratiam: ergò ratio cau-
sæ non est de conceptu generico Sacramenti.

14 Nec juvat cum Suarezio recurrere ad sanctitatem *ut sic*, intelligendo scilicet gratiam, vel legalem, & extrin-
secam, vel internam, & sanctificantem; unde, quia Sa-
cramenta veteris Legis saltem causarunt gratiam priorem,
nostra autem etiam posteriorem, adhuc Sacra-
menta con-
venirent in ratione causæ *ut sic*. Vel cum Lugone hīc,
quod illa, licet non causaverint gratiam in suscipientibus,
tunc saltem causaverint dandam nobis: nostra verò cau-
sent in nobis moderna suscipientibus. Nam

Respondeo ad primum, gratiam illam legalem non
sufficere, ut diximus, alias alia legalia fuissent Sacra-
menta, quod S. Doctor negat, & communiter alii; nec etiam
foret differentia inter Sacra-
menta, & alias ceremonias.

Ad secundum dico, quod illa causatio nec esset phy-
sica, nec moralis, saltem strictè talis, proin non mereau-
tur dici talis. Dein exinde sequeretur, quod ad Sacra-
menta illa pro statu veteri nihil fuisset secutum de gratia-
sanctificante, quod videtur absurdum; quomodo enim
per circumcisionem fuerunt mundati parvuli ab origina-
li, quod sine interna gratia tolli non potest?

Dicent fortè per fidem in Christum. Respondeo, id
rectè dici, si ad circumcisionem cum fide fuit posita gra-
tia de præsenti: ergò illa Sacra-
menta non tantum signi-
ficabant nobis dandam in Baptismo, sed etiam utentibus
circumcisione. Ex quo

Di-

Dico II. Sacra menta veteris, & novæ Legis con-₁₅
veniunt univocè in ratione communi. Ratio hujus con-
clusionis fundatur in definitione Sacramenti, quæ si
æqualiter afficiat inferiora, illa conveniunt univocè: de-
finitio autem Sacramenti ex S. Thoma hic *quest. 60. art. 2.*
in Corp. propriè dicitur Sacramentum, quod est signum alicujus
rei sacræ ad homines pertinentis. Quæ verba, si sola specten-
tur; quia non explicant adhuc differentiam veri Sacra-
menti, conveniunt etiam legalibus, sanctitatem extrin-
secam conferentibus. Addit proin S. Doctor in fine
Corp. & explicat priora verba: *ut scilicet propriè dicantur*
Sacra menta, secundum quod nunc de Sacramentis loquimur, quod
est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines. Quæ
consonant doctrinæ S. Augustini in lib. 3. de *QQ. super Le-*
viticum, ubi *quest. 80.* ait: *Sacra menta esse signacula visibilia in-*
visibilis gratiæ. Ex quibus Salmantenses hic §. 1. num. 53.
hanc definitionem adstruunt: *Signum rei sacræ sanctifican-*
tis nos. Quæ communiter juxta ipsos recipitur, & mul-
tum à Vasquezio laudatur tanquam *integra*, & *comple-*
ta, nihilque esse, quod in ea desiderari possit. Re ipsa:
omnes Authores conveniunt quoad substantiam alicujus
sanctificationis, scilicet vel internæ, aut legalis, & hinc
Suarez, Lugo, & fermè omnes, qui rationem causæ ad
conceptum Sacramenti requirunt, defendunt univoca-
tionem ratione causæ, Sacra mentis omnibus convenien-
tis, ut sola sit differentia ex modo causandi, & gratiæ
tanquam termini, quæ cùm se teneat ex parte inferiorum
& prædicatum differentiale constituat, non obest ratio-
ni genericæ quoad univocationem. Sed tales Authores
non rectè adducuntur à Thomistis pro univocatione, ut
nonnemo Dicastillum laudat in simili, cùm illi totam
constituant univocationem in ratione causæ, quam me-
liores Thomistæ excludunt; nos conformiter ad S. Tho-

mam, & dicta definimus Sacramentum *ut sic*, signum sensibile invisibilis gratiæ interne in ejusdem usu conferendæ divinitus institutum. Ex quo

16 Probatur conclusio : univoca sunt illa, quorum nomen est idem, & ratio sanctificata est eadem: sed nomen Sacramentorum utriusque Testamenti est idem, & ratio significata est eadē: ergo Sacraenta utriusque testamenti sunt univoca. Maj. patet ex Philosophia, & ab instantiis prædicabilium, substantiæ, corporis, viventis &c. Min. quoad primum est clara, quoad secundum patet ex dictis ; quia ad conceptum genericum essentialiter solum pertinet ratio signi practici ad placitum gratiæ internæ in usu conferendæ , quod æquè factum est in Sacramentis veteris siegis , quam novæ , cætera verò , quæ nostris convenient , ut ratio causæ propriæ , & continentia respectu gratiæ &c. se tenent ex parte prædicati differentialis.

Nec dicas: si Sacramentum *ut sic* respectu inferiorum esset univocum , tunc deberet dividi in nova , & vetera tanquam genus in suas species : sed juxta S. Thomam in 4. dist. 1. cit. loc. ad 5. Sacramentum non dividitur per Sacraenta veteris & novæ Legis , sicut genus per species , sed sicut analogum in suas partes : ergo Sacramentum non est univocum.

Respondeo: concedendo Maj. distinguo min. si in Sacramento *ut sic* etiam essentialiter involvitur ratio causæ , tunc non dividitur sicut genus in species , concedo min. si ratio sola signi practici cum exclusione causæ est de ratione Sacramenti, nego min. & consequentiam. S. Doctor id dixit in libris Sententiarum, ubi Magistrum explicavit de causalitate, ideoque ex eadem etiam ratione univocationem negavit, sed quia in Summa , ubi mentem suam

suam explicat, rationem causæ exclusit à Sacramento *ut sic*, etiam analogiam exclusit.

Urgebis ad hominem contra priora, ubi S. Thomam h̄ic art. 1. in Corp. adduximus, quod de Sacramento proportionaliter loquatur, sicut de fano, quod utique non univocè, sed analogicè de medicina, homine &c. dicitur: ergò idem est de Sacramento *ut sic*. In hoc multisibi gloriantur ex Adversariis, sed planè immerito. Nam

Respondeo, S. Doctorem loqui de Sacramento *ut sic* latè accepto, ut legenti patet; dicit enim ibi, Sacramentum esse *aliquid secundūm quamcunque aliam habitudinem ad sanctitatem*, qualem etiam dispositiones remotæ, quæ utique Sacramentum verè non sunt, important: & hinc relictis illis ait: *specialiter autem nunc loquimur de Sacramentis, secundūm quod important habitudinem signi*. Clariùs cit. loc. ad 2. de Sacramentis, & de sanctitate latè acceptis loquitur; nam ibi etiam secreta DEI, Regis &c. Sacraenta dicit, & Santos vocat muros civitatis, & personas in dignitatibus constitutas &c. qualis sanctitas etiam apud Ethnicos fuit, & adhuc est; ut illi, qui vel semel à longè inspexere jura, inter prima noverint.

Resolvuntur pertinentia ad dicta.

Inter illa, quæ à ratione Sacramenti excluduntur, ferme difficillimum est Martyrium, quod videtur pertinere ad Sacramentum: I. quia causat gratiam saltem moraliter, eamque significat, in quantum repræsentat Passiōnem Christi, quæ fons est omnis gratiæ in moderna prouidentia. II. juxta P. Ulloa h̄ic *disput. 1. cap. 4. à num. 60.* Martyrium defacto sanctificat ex opere operato, quod se infrà declaraturum, id est *num. 20.* promittit, licet etiam ibi à resolutione periculosa abstrahat: positō autem, Mar-

Martyrium sanctificare ex opere operato propter Divinam promissionem , quæ hinc inde colligitur ex Scriptura , videtur habere rationem Sacramenti. III si assumitur ex motivo spei Theologicæ , vel ex metu inferni , ut velis pro pro affsecutione ultimi finis , vel evitacione damnationis sustinere mortem. IV. ex motivo obedientiæ , ut , quia DEUS supremus Legislator execratur omne lethale peccatum , optes , & reverè sustineas mortem ad evitandum peccatum , & sic de aliis. Præsertim si Virgo e. g. sustineat potius mortem , quam læsionem Virginitatis. Jam quoad primum modum , ajunt aliqui Recentiores , Martyrium certè sanctificat propter actum perfectæ charitatis ex natura sua justificativum. Quoad motiva posteriora expressè admittit Ulloa *cit. loc. 61.* & quidem quoad Martyrium ex motivo spei Theologicæ , illud stare posse cum peccato habituali , licet non possit stare cum actuali , quod aliunde certum est , quia alias posset homo habere simul , & semel duos fines ultimos adæquatos , quod impossibile suppono *ex tract. de act. humanis.* Quoad tertium conjungibile judicat Martyrium cum peccato tam habituali , quam actuali , e. g. Martyrium Virginis pro conservatione puritatis stare potest cum affectu actuali avaritiae , invidiae , aut vindictæ , ut talis meritò ad virgines fatuas pertineat.

¶ 8 Respondeo simpliciter , martyrium quomodounque spectatum nunquam esse Sacmentum ; quia non est signum gratiae ex institutione Divina , quod clarè docet S. Thomas *quest. 66. art. II. ad 2.* „Sacmentum habet rationem signi : alia verò duo conveniunt cum Baptismo aquæ , non quidem quantum ad rationem signi , sed quantum ad effectum Baptismatis , & ideo non sunt Sacra menta . Per illa duo S. Thomas intelligit Baptismum san-

sanguinis & flaminis, ut clarum est ex objectione prima, & ejusdem solutione.

Ad illa, quæ de diversis motivis supernaturalibus adducit Ulloa, Respondeo, assertionem mihi videri difficultem, quomodo horror peccati propter offendit Numen evitandam cum effusione sanguinis non saltem implicitè includat Charitatem, proin hominem aliàs in peccato ex fragilitate commisso constitutum non sanctificet, præsertim cum præsentis horror peccati excludat saltem virtualiter retractationem prioris ex eadem universalitate motivi, ne offendatur DEUS utique ut summum bonum, nisi pro Martyrio velit solùm admittere motivum politicum, potius subeundi mortem, quam flagitium proborum admittere, quæ tamen à Christianis Catholicis aliena sunt, nec Martyris nomen merentur.

Certè SS. PP. quos magnò numerò allegat hic q. 98. à num. 1. Pater Sylvester Maurus, communiter docent Martyrium sanctificare. Eligo duo ex SS. Augustino, & Hieronymo, ille Serm. 17. de verbis Apostoli dicit: *Inuria est Martyri, pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari: certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem.* Ideò non oportet orare pro Martyre, quia certavit contra peccatum usque ad sanguinem: sed quivis ex enumeratis ab Ulloa certavit contra peccatum usque ad sanguinem: ergò pro eo non oportet orare, quia scilicet justificatus, & sanctus est. Hieronymus in *Psal. 115.* ait: *Martyr, si post Baptismum (quod est argumentum Adversariorum) peccaverit, tamen secundo Baptismate ablutus, securus vadit ad DEUM.* Ubi expressè loquitur de peccato, non autem revocato per poenitentiam, alioquin non ablueretur amplius à secundo Baptismate, scilicet à Martyrio.

Nec repetas, SS. PP. supponere actum Charitatis formalem; Respondeo enim, hoc ex verbis tam parùm

colligi, ut apertè contrarium: & quæro, utrum pugnare contra peccatum involvat actum Charitatis, vel non? si involvit, habemus intentum; si non? arguat Adversarius Augustinum, & Hieronymum, quibus adjungo S. Prosperum in *Epigrāmata* 87. ubi suum de Martyrio discursum his Versibūs concludit:

*Et quidquid sacri fert Mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria Martyrii.*

Cæterū, ut dixi, firmiter suppono, Martyrium ad evitatem peccati involvere actum Charitatis saltem implicitè, secùs non sanctificaret, ita docet S. Thomas cit. statim quest. 66. art. 12. effusio Sanguinis, ait ad 2. non habet rationem Baptismi, si sit sine Charitate. Ex quo patet, quod Baptismus Sanguinis includit Baptismum flaminis, & non è converso.

19 Alterum fortè non minùs difficile est, Lotio pedum, quam Christus *Joan. 13.* facta coenâ ante institutionem Eucharistiae instituisse videtur, ut habeat rationem Sacramenti, quod sic suaderi potest: signum sensibile ex institutione Divina conferens gratiam, est verum Sacramentum: sed ita se habet Lotio pedum: ergò est Sacramentum. Maj. constat ex dictis. min. probatur quoad pri-
-mum; quia illa Lotio sensibiliter facta est universalis in-
-Discipulis, & per ipsos in nobis juxta vers. 15. cit. cap. *Joan.*
Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita
& vos faciatis. & vers. 17. si bac scitis, Beati eritis, si feceritis ea.
Qui, aliisque textus insinuant institutionem universalem.
Quoad secundum colligitur ex eo, quod rēnuente ablutionem Petro Christus Dominus vers. 8. responderit: *si non*
lavero te, non habebis partem mecum, quod est, non habebis
gratiam: ergò si fueris lotus, accipies gratiam, & habe-
bis partem. Accedit Authoritas SS. Patrum Ambrosii in
Lib.

Lib. 3. de Sacramentis cap. 1. Bernardi in Serm. de Cœna Domini, ubi valdè apertus est, dicens: *de remissione quotidianorum minimè dubitamus, habemus enim Sacramentum, pedum ablutionem.*

Respondeo ad argumentum contra nos ex Kemnitio petitum concedendo Maj. negando Min. ad prob. nego, illam institutionem fuisse Sacramentalem, qualem eandem nunquam agnovit Ecclesia, cùm tamen Ecclesia debuisset acceptare; quia Moderna Sacra menta exigunt stabilitatem. Hinc rectè Salmantenses hìc *disp.. II. §. 3. num. 6.* S. Ambrosium pro nostra Sententia adducunt, qui sicut *cit. loc. fatetur*, ablutionem pedum recenter baptizatorum, quæ in usu erat Mediolani, nunquam habuisse Ecclesiam Romanam, ita pariter fateatur, necessè est, nec istam ablutionem fuisse in usu; si verò non fuit Romæ, universalis non est, nec habet rationem Sacramenti. Volut ergò solùm Christus Dominus Discipulis præbere exemplum humilitatis, & charitatis fraternæ, & in eo sensu lotionem pedum acceptarunt olim Religiosi Ordines, præsertim S. Benedictus in Regula, quæ tamen amplius in usu non sunt. Ad secundum illud: *non habebis partem mecum*, dico, quòd Petrus absolutè resistendo fuisse inobediens, & peccasset, sique excidisset gratiâ Servatoris. Est proin illud: *Exemplum dedi vobis*, consilium, non præceptum.

Ad Authoritatem S. Bernardi dicendum est, Sacramentum sumi latiùs, scilicet pro signo sacro, qualiter S. Augustinus apud Salmantenses *cit. loc. in Epist. 5. contra Faustum de omnibus signis sacrīs* ait: *cum ad res sacræ pertinent, Sacra menta appellantur.* In quo sensu etiam alta ria, vasa, vestes, & similia dici possunt Sacra menta. Quin imò, licet certum sit, non dari Sacramentum ante Baptismum tanquam januam Ecclesiæ, & ad omne Sacra men-

mentum postea percipiendum absolutè necessarium, tamen S. Augustinus *Lib. 4. de Symbolo cap. 1.* Ceremonias, & Exorcismos Cathecumenorum ante Baptismum vocat Sacra menta, scilicet in sensu lato, pro rebus, aut signis sacris accepta. Dein ex S. Bernardo Lotio pedum tantum esset remedium venialium, quod ad rationem veri Sacramenti non sufficit, cum institutum sit ad gratiam sanctificantem, vel aquirendam, vel intrinsecè augendam. Hoc totum, sicut & alia, quæ huc pertinent, resolvit S. Thomas hic quest. 65. art. 1. ad 6. dicendum, quod aqua benedicta, & aliae consecrationes non dicuntur Sacra menta, quia non perducunt ad Sacramenti effectum, qui est gratiae consecratio: sed sunt dispositiones quedam ad Sacra menta, vel removendo prohibens; sicut aqua benedicta ordinatur contra infidias dæmonum, & contra venialia; vel etiam idoneitatem quandam faciendo ad Sacramenti confectionem, sicut consecrantur altaria, & vasa propter reverentiam Eucaristie. Ex quibus proportionaliter petenda est responsio ad alia hic objici solita.

ARTICULUS IV.

An Sacra menta constent essentialiter rebus, & verbis?

20 **H**ic de essentia physica loquimur, nec amplius de Sacra mentis possibilibus, nec de Sacra mentis, vel sacrificiis Legis veteris, quæ non constabant verbis determinatis; alias DEUS *Genes. 17. à versu 10. usque ad 14.* ubi instituit circumcisio nem, tanquam pactum inter se, & semen Abrahæ, etiam certa verba adhibuisset, quæ tamen non habemus: nec etiam ad sacrificium agni, quod *Exodi 12. constituitur*; nec *Levit. 8. ad erectionem Sacerdotii* ulla verborum forma præscribitur. Loquimur proin de Sacra mentis Evangelicis, quæ sicut quo ad causalitatem,

tem, & effectum ab illis multùm differunt, ita etiam quo-
ad præsentem materiam; nam cùm libera sint, & vel ideo
ex pura instituentis voluntate proveniant, potius hoc,
quàm aliud ad constitutionem eligentis, nulla paritas de-
sumi potest ex veteri testamento, quod enim DEUS non
voluit in veteri, voluit in novo, ut patet ex Concilio
Florent. in Decret. Eugenii IV. ubi post enumerationem
septem Sacramentorum Ecclesiae dicit: *Hæc omnia Sacra-
menta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ: ver-
bis tanquam formâ, & personâ ministri cum intentione faciendi,*
*quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficitur Sa-
cramentum.*

Loquitur autem Concilium de materia remota, sci-
licet de aqua in Baptismo, de Oleo in Confirmatione,
quæ materiæ proximæ non sunt: non ergò videtur loqui
de intrinseca institutione essentiali saltem proxima, defi-
nit tamen hoc, quòd ad Sacramentum requirantur res
& verba, quatenus invicem distinguuntur. Contra quod
Durandus in 4. Sent. dist. 1. quest. 3. art. 8. docet, Sacramen-
tum Poenitentiaæ perfici solis verbis, & poenitentis, & Sa-
cerdotis absolvientis; & idem de Matrimonio constante
verbis utriusque contrahentis. Vasquez autem cum
Hurtado tenet, Matrimonium posse solis nutibûs, vel
etiam silentiô, quod utique verba non importat, perfici.

Dico I. Ad omne Sacramentum novæ Legis requi-
runtur res, & verba, & quidem tanquam partes essen-
tiales.

Prob. quoad primam partem negativè: ideo non
requiruntur res, & verba, quia Poenitentia, & Matrimo-
nium perfici possunt solis verbis, imò postremū solo nutu:
sed exinde nil evincitur: ergò &c. min. prob. quoad Poe-
nitentiam: Verba illa confitentis sunt distincta à forma
Sacramentoali: ergò hoc ipso habent rationem rei, qua-
Dd 3 te-

tenius contraponuntur formæ. Jam sic: quod se habet per modum determinabilis à forma, habet se per modum rei, seu materiæ, aut subjecti: sed verba poenitentis habent se per modum determinabilis; cùm ex se indifferentia sine ad hoc vel aliud: ergò habent se per modum rei, seu materiæ, aut subjecti. Ideam est de signis, si verba defint, vel de Scriptura porrecta Sacerdoti, ex qua peccata, confiteri volentis, colligit, modò sit confessio sensibilis cum cæteris requisitis, sive dein fiat verbis, vel nutu, vel affectibus aliis: habent ergò verba illa confitentis in nostro sensu rationem materiæ respectivè ad formam Sacramenti.

Quoad Sacramentum Matrimonii suppono, materiam remotam esse corpora contrahentium, proximam verò eorundem traditionem, quæ significanda est aliquo signo sensibili, & illud habet rationem Verborum, quod ex priori ratione consequitur; quia omne determinativum in Sacramentis respectu materiæ proximæ tanquam rei habet rationem verborum: sed juxta Adversarios nutus, vel etiam silentium habent se respectu traditionis per modum determinativi: ergò habent rationem Verborū. Si verò P. Vasquez silentium nudè intelligat, nec relativè ad antecedentia, & circumstantias, per quæ & similia fieret sensibile, absolute negandum est, per illud perfici Matrimonium. Quid enim si Titius centies dicat Bertæ: trado tibi corpus meum, tu mihi trade tuum, & sic perficiemus Matrimonium; Berta verò taceat, nec ullo signo traditionem prædat, utique nullum consurget Matrimonium, cùm possit latere sub silentio, vel pure negativè sui habentia, vel tacitus contemptus offerentis: fingi ergò debet aliud silentium, quod fiat per aliquid sensibile, & significet vicariam corporis traditionem, secùs erit nullum.

Al-

Alterum, quod addit P. Vasquez *disput. 3. de Matrim.* ex Sanchez, posse etiam Matrimonium perfici copulâ, consequenter non requiri verba, minùs probat; nam si Berta (alium casum fingere non poterit) offerat Sempronio corpus suum in ordine ad Matrimonium, & ille post oblationem statim cognoscat sine ullo verbo, perficeret juxta ipsum Matrimonium: admitto, sed ipsa copula, sicut ex parte Sempronii, & Berta est ipsa traditio, ita ex parte Sempronii habet rationem determinantis traditionem mutuam, eritque locò verborum, quia est consensus sensibilis. Ne verò hoc gratis dici videatur, audiendus est S. Thomas hac *quest. art. 6. ad 1. Res visibles Sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, in quantum scilicet participant quandam vim significandi, quæ principali-ter est in ipsis verbis.* Sufficit ergo juxta S. Doctorem, si unum eorum determinetur per alterum.

Dices: ex hoc sequeretur, quòd unum possit determinari per alterum, ut ex dato casu appareat: sed hoc est absurdum; quia unum respectu alterius haberet rationem materiæ, & formæ: ergo argumentum non probat intentum. min. prob. nam in donatione e.g. acceptatio non semper habet rationem formæ, licet compleat donationem; nam fieri potest juxta Vasquezium, & alios, quòd præcedente petitione subsequatur promissio, & donatio. Dein hoc est contra assertum, nam juxta Pontifices Nicolaum, & Alexandrum Matrimonium conficitur solo consensu: ergo non requiruntur verba.

Si dicas hoc totum salvari posse per distinctionem sub diverso respectu, & sic per præcisionem, non acceptat P. Ulloa hic *disp. 2. cap. 1. num. 6.* à principio, ait enim valde acerbè: *ut solvant objectionem graves Theologi, confu-
giunt ad solita latibula præcisionum, & formalitatum, quasi di-
sputaremus rem Logicam, non Theologicam, & realem.* Hic pun-

pungit Thomistas sed non sine vulnere proprio; nam quod in aliis carpit, ipse facit. Proin

Respondeo cum ipso, & communi gravium Theologorum concedendo Maj. negando min. nec absurditas ulla sequitur ex adjecta causalí; nam esse simul materiam, & formam analogicè tales respectu ejusdem, à parte rei nihil aliud est, quām quod unumquodque ex duobus sit indifferens ad alterum, & hæc indifferentia determinetur per alterius existentiam, ita ut utroque mutuo coëxistente detur talis denominatio, vel realitas, quæ non esset uno solo existente, & sic est in Matrimonio, cuius nec realitas, nec denominatio datur, nisi mutuo consensu coëxistente, ita ut unus determinet alterum; sicut existentia Petri, seu duratio est indifferens, ut coëxistat durationi Joannis, quando ergò Joannis existentia datur, tollitur mutua indifferentia ex parte utriusque. Ita reipsa docet hic Author loc. cit. quæ omnia admittunt illi graves Theologi. Sed tamen claritatis causâ distinguunt illam causalem sic; unum haberet respectu alterius rationem materiæ, & formæ sub eadem ratione negant min. sub diversa concedunt min. & negant, hoc esse absurdum, modò præscindatur inter determinativum, & determinabile, quod & ipse facere tenetur; nec enim sub eadem ratione opposita verificari possunt. Ulteriorem hujus responsionis instantiam habemus in relatione prædicamentali mutua, ubi terminus specificat, & specificatur sub diversa ratione, ut patet in Patre, & Filio.

24 Instantia de donatione nihil probat; nam acceptatio semper habet rationem formalem determinantem, sine qua non perficitur donatio, sive dein antecedat petitio, sive non; nam si Petrus petat à Paulo donationem libri, nulla adhuc est donatio, si verò Paulus tradat, & Petrus acceptet, perficitur donatio, sive dein fiat novus actus

actus acceptationis , sive non , quia etiam silente Petro ad oblationem retrotrahitur petitio , & habebit rationem acceptationis , modò Petrus rem detineat , cámque suam faciat . In hoc casu configuit P. Ulloa ad præcisionis , & distinctionis latibulum , dicitque petitionem fore *subjectivè* , & *quoad existentiam* priorem , non verò *terminativè* , & *quoad suum valorem* ; quia scilicet tunc haberet rationem acceptationis ; nam quid acceptas , quando nihil datur , nec daretur ? quid gaudes , ubi bonum non est præsens , aut certè futurum ? Interim rectè monet , petitionem fundari in desiderio , acceptationem in gaudio : ergò rectè contra ipsum infero : opus est præcisione , & formalitatum distinctione .

Ad mentem Pontificum dico , illos solùm velle , Matrimonium consensu verbali , vel æquivalenter tali confici inter contrahentes , excluso consensu parentum , qui olim requirebatur . Ita explicat Bellarminus lib. 1. de *Sacramentis* cap. 18. hodie certè non sufficit ad valorem solus consensus mutuus , nisi juxta Tridentinum accedat . præsentia Parochi , & testium ; debet enim fieri in facie Ecclesiæ .

Quoad secundam partem probatur conclusio ex S. Thoma hac *quest. art. 6. ad 2.* docente : *ex verbis , & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis , sicut ex forma , & materia . Nec te moveat quodammodo* ; nam S. Doct. vult solùm fieri unum ex verbis & rebus , non quidem ita propriè unum , sicut ex materia , & forma ; fieri tamen unum saltem compositione extrinseca , quod respectu totius physici dicatur quodammodo . Atque hinc argumentum est à pari : quia ex materia , & forma substantiali fit unum in genere physico , materia & forma sunt partes essentiales totius : ergò etiam quia *ex verbis , & rebus fit*

E c

unum

unum in esse Sacramenti, sunt partes in linea morali essentiales, ut supra Part. 2. num. 5. ad finem diximus.

25 Supereft difficultas de Sacramento Eucharistiae, cui constitutionem ex verbis negant quam plurimi cum Suarezio, & Vasquezio &c. qui pro se allegant Concilium Florentinum in Decreto de Sacramentis dicens, *Formam Sacramenti Eucaristiae esse verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur. Sacerdos enim in Persona Christi hoc conficit Sacramentum, atque virtute verborum substantia panis convertitur in substantiam Christi.* Hanc authoritatem Salmantenses hic num. 41. rejiciunt in Adversarios, & pro se assumunt, ac si velit Concilium, formam Eucharistiae in verbis consistere; forma vero comparatur ad id, cuius est forma, tanquam partem intrinsecam, & consequenter etiam juxta Florentinum Eucharistia constat verbis.

Sed Adversarii loquuntur in alio sensu, ibique formam accipiunt pro causa efficienti, ut patet ex contextu, quia per verba nomine Christi conficitur Sacramentum, & alias apud Thomistas certum est, verba consecrationis se habere per modum virtutis efficientis: sed causa, vel virtus efficiens non ingreditur conceptum effectus per modum causæ formalis: ergo verba consecrationis non sunt forma, consequenter nec pars essentialis Eucharistiae.

II. Nullum transiens potest esse constitutivum aliquius permanentis: sed verba consecrationis transeunt, Sacramentum vero Eucharistiae est permanens: ergo verba non possunt esse constitutivum illius. Maj. ex Philosophia est certa; quia pereunte constitutivo, perit constitutum, min. est omnibus Catholicis nota.

Hanc objectionem ingeniosè evertere conatur P. Ulloa per distinctionem Eucharistiae in fieri, & in facto esse, atque, hoc Sacramentum in fieri constitui per verba consecrationis tanquam formam, & per panem, & vinum tantum.

tanquam materiam, & veluti terminum à quo, peripsum Christum autem sub speciebus tanquam materiam, & terminum ad quem, quod totum intelligi vult per instantiam entis naturalis in fieri per conversionem e.g. vini in aquam, ligni in ignem. Econtra Evcharistiam in facto esse, ait, consistere plenè, & adæquatè in Christo sub speciebus, omni alio excluso; quia præsente Christo sub speciebus simpliciter habetur tota Evcharistia, & hoc modo cibus iste spiritualis adoratur, comeditur, nec adorantur, nec comeduntur verba. Quod confirmat ex eo, quia si DEUS absque ministerio humano poneret integrum Christum sub aliis speciebus, annihilatâ substantiâ panis, tota Evcharistia esset in facto esse. Et meô judiciô potest urgeri ex eo, quòd in nostra, & communi Thomistarum Sententia Sacramentum sit signum gratiæ in ipso usu conferendæ: sed hœc tantùm verificatur de Evcharistia in facto esse: ergò non *in fieri*, ubi verba adsunt, nec tamen effectus: consequenter posset salvare, Sacramentum semper constare rebūs & verbis cum distinctione quoad hoc Sacramentum in fieri, non in facto esse.

Sed tamen potest & alio modo salvare totum, ad quod²⁶ demum refugere necessum est omnibus propter Florentinum. Hin respondeo ad argumentum, verba consecrationis quoad hoc duplicitate accipi posse I. efficienter, scilicet in ordine ad Corpus Christi sub speciebus ponendum, vel ad Corpus Christi effectivè uniendum cum speciebus Evcharisticis. II. formaliter, quatenus sunt determinativa materiæ, ut hoc sensibiliter exprimant; cùm ergò species panis, & vini ex sua natura significarent ipsum panem, & vinum, ex institutione significant Corpus, & Sanguinem Christi, in quantum connotant verba consecrationis, vi quorum substantia panis, & vini fuit conversa in Corpus, & sanguinem, modo semper notetur,

banc specierum significationem provenire à verbis consecrationis, ad hoc à DEO ordinatis, quod est verum Catholicis. Et hinc

Ad primum argumentum patet responsio per distinctionem verborum consecrationis, quæ non ingreduntur rationem causæ formalis, quatenus sunt juxta Adversarios effectiva, sed quatenus sunt determinativa specierum ad Corpus Christi latens significandum, non verò ad panem & vinum, quorum alias accidentia significativa sunt.

Ad secundum argumentum distinguo min. verba consecrationis transeunt physicè con. min. moraliter nego min. & sub distinctione consequent. sensus distinctionis patet ex dictis, rectè intellectis; sicut enim species sunt physicè permanentes & signum ex institutione, licet institutionis Christo non sit permanens physicè, sed moraliter tantum, ita verba manent moraliter in speciebus, quatenus sunt determinativa specierum per modum formæ, ut significant Corpus Christi. Dein certum est hoc: Christus aliquid sensibile elegit, quod significaret suum Corpus præsens in Evcharistia: sed illud sensibile sunt species, quatenus determinantur per verba consecrationis: ergo habent semper rationem formæ determinantis, & moraliter perseverant, quod ex eo certum est; quia si infideles, vel hodie etiam Calvinistæ, & Lutherani, ostensio Venerabili, interrogentur, quid illæ species panis, & vini significant, respondebunt, significare panem & vīnum, cuius sunt accidentia; at verò Catholicus dicet, significare Corpus, & Sanguinem Christi, quatenus species connotant verba consecrationis, vi quorum substantia panis, & vini fuit conversa in Corpus, & Sanguinem Christi.

Quæres, an, & quomodo materia, & formæ Sacramentorum fuerint determinatae?

Di-

Dico I. Materia , & forma quoad substantiam , seu in genere sunt determinatae à Christo.

Prob. I. conformiter ad dicta: Sacramentum est si-27
gnum ad placitum gratiae sacramentalis : ergo determinari debet ab eo , ad cuius placitum est tale. Antec. supponitur, consequent. prob. ab instantiis , sic enim voces , aliaque res in signum assumptae sunt determinatae ab eo , qui hunc ordinem tribuit : sed tribuere nemo potuit, nisi Christus , qui est Auctor gratiae : ergo materia & forma est determinata à Christo. Estque hæc clarissima doctrina S. Thomæ hac *quest. art. 5. in Corp.* ubi negat, quod unus possit determinare aliquid , quod est in potestate alterius , & hinc infert : *quia ergo sanctificatio hominis est in potestate DEI sanctificantis , non pertinet ad hominem suum iudicium assumere , per quod sanctificetur.* Demum in fine: *ideo in Sacramentis novæ Legis , quibus homines sanctificantur , oportet uti rebus ex Divina institutione determinatis.* Proin nemo , nec ipsa Ecclesia potest mutare substantialiter materiam , & formam à Christo institutam.

Nec audiendi sunt I. Acatholici volentes, Christum solum verba determinasse quasi concionatoria , non ut ritualia , seu consecratoria, esse proin ad libitum , uti verbis qualibuscunque &c.

II. Gratiis admissa determinatione Christi , ajunt , materiam , & verba non quoad substantiam determinata ; cum Ecclesia & materiam , & formam mutaverit ; sic in Sacramento matrimonii non amplius sufficit mutuus consensus suprà explicatus , sed ad valorem requiritur præsentia Parochi & testium. Iterum Ecclesia illud Alexandri Pontificis universim suscepit , quod parùm aquæ admiscendum sit vino , ut constat ex Florentino , & Tridentino , ubi revera videtur materia mutata vini , vel aucta.

Respondeo ad primum; veritatem patere ex ipsis verbis Christi, ubi formam ritualem præscripsit, de Baptismo quidem: *Baptizantes eos in Nominе Patris, & Filiи, & Spiritus Sancti. Et in Eucharistia: hoc est corpus meum &c.* quod si in aliis Sacramentis forma adeo explicitè non patet ex Evangelio, habetur tamen substantia determinationis ex traditione, ubi Ecclesia potuit dein in specie hoc vel illud eligere, ut patet ex Tridentino Sess. 21. cap. 2. definiens: *banc potestatem in Ecclesia perpetuo fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, SALVА ILLORUM SUBSTANTIA, ea statueret, vel mutaret, que suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire jucundarit.*

Ad secundum responsio colligitur ex textu allegat. Trid. pro quo admittendum est, Christum pro matrimonio instituisse contractum verum, & validum; cum vero ratio contractus subjaceat potestati Ecclesiæ, potuit Ecclesia contractum clandestinum annullare, & pro ejusdem valore requirere præsentiam Parochi & testium, ut iam contractus alias validus, modò sit nullus, nisi prædictæ conditiones adsint: manet ergo semper materia hujus Sacramenti quoad substantiam, scilicet contractus validus, qualis modò respectu matrimonii est solus ille, celebratus cum dictis solemnitatibus. Et profectò expediens Ecclesiæ, & suscipientium utilitati ista Concilii mutatio, ne tot matrimonia, claram contracta, subjaceant fraudibus contrahentium, dum pars una, pertæsa alterius, contractum semel celebratum negat, & ad vota secunda perfidè transit, cum adulterii crimine, taceo alias fraudes, quæ sub prætextu matrimonii licentiam vitæ impunè proveherent.

Ad ultimum de aqua admixta respondeo juxta S. Thomam hic quest. 74. art. 7. pro quo in responsione sed-

con-

*contra citat S. Cyriacum, illius admixtionem non esse de...
essentia Sacramenti, proin validè confici in solo vino,
quamvis illicite.*

Dico II. Ecclesia non potest materiam, & formam...
Sacramentorum essentialiter, & quoad substantiam mu-
tare. Est modò communis post Tridentinum cit. loc. ubi
substantiam intactam profitetur.

Conclusio hæc prob. à Salmanticensibus hic *dubio 4.*
nam. 62. ratione Theologica fermè hac : Ecclesia non
potest Sacraenta à Christo instituta mutare, vel tolle-
re : ergò nec materiam, & formam variare. Prob. con-
sequens : mutare materiam, & formam, est tollere
Sacramentum, & novum instituere per aliam materiam
& formam : ergò sicut non potest tollere, & novum in-
stituere , sic non potest substantialiter mutare materiam
& formam. Antec. prob. Sacramentum est compositum
quoddam ex partibus , à quibus non distinguitur in
omnium, etiam Scotistarum, sententia , quia est compo-
situm per accidens: ergò si tolluntur partes, tollitur ipsum
Sacramentum , & per novas partes novum instituitur
Sacramentum. Quòd verò Ecclesia non possit institue-
re Sacraenta defacto, est certum ex principio S. Tho-
mæ recepto, quod repetit hic *quest. 64. art. 2. in Corp. Cùm*
virtus Sacramenti sit à solo DEO, consequens est, quod solus
DEUS sit Sacramentorum Institutior. Alios textus adducunt
Authores , sed omnes reverà dicunt solum , quòd nec
Apostoli , nec eorum successores , & Vicarii ad regimen
Ecclesiæ constituti possint facere Ecclesiam, tradere aliam
fidem, instituere alia Sacraenta &c. quod cit. *quest. 65*
art. ad 3. docet S. Thomas, & jam docuit anteà in *4. sent.*
dist. 17. art. 3. quest. 5. ratio est; quia juxta ipsum Ecclesia
fundatur in fide; & Sacramentis: ergò si fieret alia fides, fie-
rent alia Sacraenta , fieret nova Ecclesia , quod totum
est

est verissimum, sed salvis sapientissimis horum Authorum judiciis prorsus contra quæstionem.

Nam Adversarii hoc solum volunt, non omnia Sacramenta fuisse immediatè instituta à Christo in determinata quoad substantiam forma, & materia. Idque docent Magister Sentent. Alensis, S. Bonaventura, & Innocent. III. in cap. Presbyter de *Sacramentis non iterandis* expressè dicit, quod tempore Apostolorum sola impositio manuum fuerit ordinationis forma, sed subsequentib[us] temporib[us] aliud ordinaverit Ecclesia. Pro quo sunt multi Authores.

Demùm docent Petrus Soto *de institut. Sacerdot.* Bellarminus *de Sacramento Ord.* & alii cum Lugone; quod Christus non instituerit materiam e. g. Ordinis in particulari, sed commisisse illud Apostolis, ut per certa instrumenta repræsentantia traditionem potestatis conferrent Ordinem. Si vero Apostolis competit illa potestas, potest etiam competere Ecclesiæ in illis, quæ determinata non fuerant, & hoc quidem per traditionem, & potestatis communicationem; nec tamen exinde infertur, quod potestas instituendi Sacramenta sit pecùs Ecclesiæ; quia (concessis gratis omnibus) Ecclesia hoc non fecisset per potestatem Excellentiarum, sine qua non datur institutio Sacramenti, quod utrumque docet S. Thomas cit. quest. art. 4. ad 6. qui textus NB. est conformis Tridentino: *Dicendum, quod Christus non ex invidia prætermisit potestatem Excellentiarum ministris communicare; sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent,* & NB. *ne essent diversa Sacramenta, ex quibus in Ecclesia divisio oriretur, sicut apud illos, qui dicebant: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae &c. ut dicitur 1. Corinth. 1.* Et planè, ut anteā ad 3. cit. loc. monet S. Doctor, per potestatem excellentiarum essent plura Ecclesiæ Capita, quod absurdum est propter

pter necessariam confusionem: positō ergò, quòd Ecclesia possit determinare materiam, & formam *ministerialiter* vel etiam mutare, nec tamen tollere posset Sacra menta, nec nova instituere propter defectum Excellentiæ, & in hoc sensu totum Salmanticis um argumentum solvit ur per distinctionem *ministerialis determinationis*, & illius per potestatem Excellentiæ.

Ergò ex alio capite petenda est conclusionis ratio, & quidem meō judiciō ex Tridentinō cit. sic: si Ecclesia possit essentialiter, & quoad substantiam mutare materiam, & formam Sacramentorum, debuisset aliquando agnovisse hanc suam potestatem: sed nunquam illam agnovit: ergò non habet. Maj. mihi videtur certa; ad quid enim potestas, quæ non agnoscitur, consequenter non usurpatur? min. prob. ex Tridentino, quod Conciliorum Generalium, est ultimum, & quoad substantiam continet omnia, quæ in prioribus dispersa sunt: sed hoc non agnovit illam potestatem, quia expressè Sacramentorum substantiam excipit: ergò nec cognoscit Ecclesia, quam tale Concilium, legitimè congregatum, & à Pontificibus approbatum, repræsentat.

Dein etiam ulterior probatio nihil evincit; quia si Ecclesia solveret ministerialiter illud compositum, & novum constitueret, nec tamen faceret novum Sacramentum, hoc ipso, quòd non possit illi composito tribuere vim significandi gratiam. Nec S. Thomas in aliis textibus favet; nam solum docet potestatem Excellentiæ hic & nunc esse penès Christum.

Cæterūm quæ adduximus de Sententiis contrariis qualiumcunque Authorum, vel sola Tridentini authoritate repelluntur, contra quod nec Sanctorum opinio nes defendi possunt.

F f

QUÆ

QUÆSTIO II.

De efficacia, seu causalitate Sacramentorum.

HActenus an, & quid sit Sacramentum diximus; nunc de ejusdem causis, seu principiis quasi effectivis unde proveniant, differendum foret, nisi S. Thomas prius causam finalem, quæ cum effectu eadem est, pertractasset; est autem effectus primarius principalis Sacramenti gratia sanctificans, juxta S. Thomam hic *quest. 62.* in Prologo, secundarius verò Character in aliquibus Sacramentis; in hac ergò Quæstione discutiemus, an, & quomodò Sacraenta causent gratiam?

ARTICULUS I.

An Sacraenta nostra causent gratiam, & quomodò?

29 **Q**uia multa inter Theologos, & alios controversia est, quomodò Sacraenta gratiam causent?

Notandum est primò, Hæreticos Modernos post Lutherum, Calvinum, & alios Sacramentis negare omnem vim causativam, docēntque ea solum poni ad modum conditionis, vel rei, nos ad fidem excitantis, quæ posita DEUS hominem justificet, & hoc conformiter quidem aliis erroribus, modò credatur, sola sufficit ad salutem fides, cæteris per modum ceremoniæ requisitis; quæ, cùm à Conciliis damnata sint, quia sacræ Scripturæ, Traditioni, SS. PP. & Ecclesiæ à prima origine contraria, dimittimus ad Theologiam Polæmicam.

Notandum II. Asserta Sacramentorum causalitate dubium esse, an moraliter, vel physicè causent gratiam? ubi

ubi distinguimus inter causam moralem, & propriè physicam, licet utraque pertineat ad genus causæ efficientis, vel moventis, vel influentis. Est proin causa moralis illa, quæ non immediatè per se ipsam induit effectum, sed mediante influxu causæ physicæ, quam movet, excitat, & induit ad producendum effectum, ut patet ex Oeconomia actuum hominorum, ubi consilium, & imperiū &c. non influunt effectivè, sed tantum excitant, movent aut dirigunt e.g. voluntates, ut operentur. Econtra causa physica effectivè influit, & effectum immediatè attingit; licet in suo influxu non excludat concursum aliarum causarum. Ex.gr. ignis, & calor sunt duæ causæ physicæ, ignis est causa principalis, & calor instrumentalis, & licet utraque non excitandò tantum, aut movendò, sed physicè immediatè attingendò effectum, tamen una alteram non excludit: ergo tota differentia causæ physicæ à morali est, quod hæc non habeat influere in effectum per aliquam actionem productivam, sed tantum moveat, illa verò influat.

Dico I. *Sacra menta nostra aliquo modo causant gratiam moraliter. Est communis omnium.*

Prob. omne instrumentum aliquo modo concurrit ad effectum causæ principalis: sed nostra Sacra menta sunt instrumenta Christi, & ejusdem Passionis, quæ est causa principalis in genere morali: ergo aliquo modo concurrunt ad gratiam: sed Christus, & ejusdem passio, & merita causant moraliter gratiam: ergo & Sacra menta tanquam instrumenta in eodem genere aliquo modo causant. Maj. est Philosophica, & vera: minor constat ex dictis; quia Christus per Sacra menta velut canales nobis gratiam communicat; quod verò passio Christi moveat, & excitet causam effectivam, Catholicè certissimum est.

31 Dico II. Sacra menta moraliter propriè, & verè causant gratiam. Est contra multos Thomistas præsertim, contra Salmanticenses hic *dub. 2. §. 1. à num. 21.*

Prob. causare gratiam verè, & propriè moraliter, est causam effectivam propriè, & verè excitare ad producendam effectivè gratiam: sed Sacra menta nostra propriè, & verè movent DEUM tanquam causam efficiētem ad producendam effectivè gratiam: ergò verè, & propriè moraliter causant gratiam. Maj. supponitur ex ipsa notione. min. prob. quod causa principalis verè, & propriè moraliter causat modo principali, hoc causa instrumentalis verè, & propriè moraliter causat modo instrumentali: sed passio, & merita Christi tanquā causa principalis verè, & propriè moraliter causant gratiam modo principali &c. ergò & Sacra menta tanquam causa instrumentalis verè, & propriè moraliter causant modo instrumentalī. Maj. suppono; siquidem loquamur de vera subordinatione instrumenti ad causam principalem. Dein prob. ad hominem contra hos Authores: ideò Sacra menta causant gratiam instrumentaliter physicè, verè, & propriè; quia subordinantur causæ principali physicè, verè, & propriè causanti principaliter gratiam scilicet DEO: ergò etiam causant gratiam verè, & propriè moraliter propter eandem subordinationem ad causam principalem moralem. Antec. & ejusdem causalis infrà patebunt; & aliás ex Philosophia patet; cùm virtus activa instrumenti sit virtus ipsius causæ principalis in genere physico: ergò etiam virtus motiva causæ instrumentalis erit virtus causæ principalis in genere morali; priùs est verum in via Thomistica, quam AA. profitentur: ergò & posterius, vel detur disparitas.

32 Dices ex AA. *loc. cit. num. 22.* cum S. Thoma hīc artic. I. quod præcisè concurrit per modum signi, non concur-

currit per modum causæ moralis verè, & propriè talis: sed Sacra menta nostra concurrunt præcisè per modum signi in genere morali (nam de linea physica abstrahunt hic AA.) ergò non concurrunt per modum causæ moralis verè, & propriè talis. Maj. est certa de Sacramentis veteris legis. min. ostenditur: Sacra menta nostra non aliter possunt concurrere quàm repræsentandô promissionem DEI, statuentis in eorum præsentia, dare gratiam, vel repræsentandô merita Christi ad hunc finem ordinata: sed hæc tota repræsentatio pertinet ad rationem signi significantis promissionem DEI, merita Christi, & eorum applicationem: ergò nostra Sacra menta, facta præcisio ne causalitatis physicæ, concurrunt præcisè per modum signi.

Si dicas, hōc argumentō nimium probari pro Sacra mentis veteris legis, quæ promissionem DEI, merita Christi, eorumque applicationem æquè significabant, proin non esse differentiam inter nostra, & illa, quoad lineam moralem. Admittunt hi Authores, & ex hoc ipso argumentum pro se adducunt, quod scilicet in ratione signi plus non præstent nostra, quàm illa Sacra menta; profectò si cedendum esset his assertis, pessimè haberet Sententia communis RR. & Scotistarum, negantium Sacra mentis causalitatem physicam; nam unde, ut satisfaciant Florentino, & Tridentino, invenient differentiam inter vetera, & nova Sacra menta? cùm causalitas moralis sit æqualis, & physica non admittatur. Nos saltem configere possumus ad causalitatem physicam, illis in sua moralitate relictis. Sed omissa hīc causalitate physica.

Respondeo ad argumentū concedo Maj. nego min. 33 ad prob. nego Maj. in sensu, quem volunt Adversarii, & dico, idè Sacra menta nostra concurrere moraliter verè, & propriè, quia merita Christi jam operata (suppositis re-

quisitis à Christo, & Ecclesia) moraliter sibi annexa habent, ita ut merita Christi subeant rationem causæ moralis principalis, & Sacra menta per virtutem communicatam, & annexam habeant rationem causæ moralis instrumentalis, moventis in virtute causæ principalis. Aliud est de Sacramentis legis veteris, quæ sicut passio Christi nondum erat *operata*, ita non poterant eandem sibi moraliter annexam habere, sed nudè operandam significare; licet dein intuitu eorum DEUS dederit, vel dare potuerit remissionem peccati.

Nec dicas; parùm referre, an merita Christi repræsententur ut futura, quod fit in Sacramentis veteris legis, vel ut præterita, quod fit in nostris Sacramentis; quia si causant gratiam moraliter ut præterita, causabant olim etiam ut futura, cùm utrobique idem fuerint DEO in ordine ad dandam gratiam in usu Sacramentorum. Nam

Respondeo, multùm referre, dari scilicet differentiam inter hujus, & alterius testamenti Sacra menta, ut Conciliis Florentino, & Tridentino fiat satis, & S. Thomæ, ex quo Tridentinum contra Hæreticos suum canonem desumpsit. Nostra Sacra menta causant gratiam saltem moraliter in omnium Sententia; quia eandem continent in meritis Christi *operatis*, & sibi unitis; illa non causabant, quia non continebant, nec continere poterant nondum *operata*, sed postea *operanda*.

Accedit juxta dicta superiùs, quòd nostra Sacra menta sint moraliter actiones Christi secundùm illud Augustini tract. s. in Joannem versus finem, ut Baptismum Joannis distinguat à Baptismo Christi sic dicentis: *Quos enim baptizavit Joannes, Joannes Baptizavit, quos autem Baptizavit Judas, Christus Baptizavit*, sic ergò quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptisma Christi erat, Christus baptizavit. Idem Catechisus Romanus ex Manda-

to Concilii Tridentini editus docet de Sacramentis agens: *Hi quidem ministri, quoniam in sacra illa functione non suam, sed Christi personam gerunt, ea re fit, ut sive boni, sive malii sint, modò ea formâ, & materia utantur, quam ex Christi instituto semper Ecclesia Catholica servavit, idque facere proponant, quod Ecclesia in ea administratione facit, verè Sacraenta confiant, & conferant, ita ut gratiae fructum nulla res impedire possit, nisi, qui ea suscipiunt, se ipsos tanto bono fraudare, & Spiritui Sancto velint resistere.* Hæc fusiùs adduxi, ut diversitas Sacramentorum clariùs pateret. Sed

Objicitur I. cum Adversariis ex S. Thoma hic art. i. in Corp. si rectè consideretur, aliam causalitatem Sacramentis non admittit, quàm physicam, consequenter excludit causalitatem verè, & propriè moralem, quod ex eoc luculentum est; nam postquàm S. Doctor ab initio Corporis dixit, *necessè est dicere, Sacraenta novæ legis per aliquem modum causare gratiam*, refert aliorum opinionem, quasi Sacraenta non sint causa, aliquid operandô, sed tantùm, quia DEUS Sacramentis adhibitîs in animas gratiam operatur. Hoc ipsum est, quod diximus, & tenemus de Sacramentis veteris legis. Sed hi Authores, ut exinde rejiciant causalitatem moralem, exemplum S. Thomæ, quod ille ab aliis desumpsit, pro sua opinione applicant, èstque hoc: ponunt exemplum de illo, qui afferens denarium plumbeum, accipit centum libras ex Regis ordinatione, non quòd denarius ille aliquid operetur ad habendum prædictæ pecuniae quantitatem, sed hoc operatur sola voluntas Regis &c. Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversæ sunt traditæ Sacramentis.

Dein S. Doctor hæc rejicit, quia omnia plus infere-34 runt, quàm rationem signi, cùm verò hoc sufficere neget in Sacramentis, adstruit in §. Et ideo causalitatem instrumen-

mentalem physicam : ergò excludit moralem verè, & propriè talem, & tantum admittit causalitatem per modum signi, sicut in denario plumbeo respectu centum librarum. Hoc est argumentum totum virorum istorum, alias sapientissimorum ex S. Thoma, qui nihil minùs, quām hoc extortum voluit. Sic enim

Respondeo admissō toto discursu ex S. Thoma usque ad §. Et ideo, postquam concedo antec. nego consequentiam, quæ tam parùm ex antecedenti deducitur, quām ex denario plumbeo centum libræ argenti; imò contrarium ex eo evincitur, quòd S. Thomas suprà allegatus jam in quest. 61. art. 4. ad 2. differentiam inter vetera, & nova Sacra menta adstruxerit ex eo, quòd nostra Sacra menta gratiam contineant, & causent, non verò illa, sed ibi non dum loquitur de causalitate physica, quām primùm hīc quest. 62. art. 1. probat: ergò conformiter Florentino locutus est de causalitate morali, quam omnes admittunt. Dein primùm adstruit etiam causalitatem physicam, quæ est singularis Sententia S. Thomæ, quam communiter negant Scotistæ, & RR. fermè omnes, Suarezio, aliisque paucis exceptis, qui tamen non conveniunt in modo explicandi. Ex quo argumento reflexo sic dico: Sacra menta novæ Legis continent, & causant, seu conferunt gratiam juxta Florentinum, & Tridentinum: sed juxta hæc Concilia non determinatè causant physicè; ergò faltem moraliter propriè; quia non datur medium inter causalitatem moralem propriam, & physicam etiam juxta AA. qui ideo non admittunt causalitatem nummi plumbi. min. prob. si juxta hæc Concilia determinatè causarent physicè, debuissent Concilia illam causalitatem declarare: sed non declarant, ut patet ex Sententia contra ria aliorum verè probabili, negantium talem causalitatem, quām tamen debuissent acceptare post declaratio nem:

nem : ergò Sacra menta juxta hæc Concilia non determinatè causant physicè ; & si tamen physicè causant , cau-
sant etiam moraliter verè , & propriè , aliàs non esset dif-
ferentia intra nostra , & vetera Sacra menta , quæ etiam
causârunt impropriè , ut nummus plumbeus causat da-
tionem centum librarum . Discursus fundatur in dictis
de differentia Sacramentorum utriusque Testamenti ; &
quia necessum non est , stare Sententiæ Thomistarum de
causalitate physica , saltem standum est causalitati moralis
verè & propriè tali .

Confirmatur ex ipso S. Thoma hac *quest. 62. art. 6.*
in Corp. ab initio , ubi habet : Non potest dici , quòd Sacra-
menta Veteris legis conferrent gratiam justificantē per
se ipsa , id est , propria virtute ; quia sic non fuisset neces-
saria passio Christi &c. ex quo sic : Sacra menta nostra
causant gratiam propria virtute propter passionem Chri-
sti jam operatam : sed hæc virtus propriè dimanans ex
passione Christi , non est determinatè physica ; quia hoc
tantùm probabiliter ex S. Thoma ostenditur : ergò sal-
tem & certò quidem est verè , & propriè moralis . Cer-
tò si Thomistarum Sententia de causalitate physica expu-
gnatur , sicut revera est virilis difficultatis , non habet
aliud , ut satisfaciat Conciliis , nisi confugere ad causalitatem
moralem verè , & propriè talem . Dein certum
est , quòd Tridentinum nihil voluerit determinare in ma-
teria inter scholas controversa ; nisi fidem attingat , quod
cùm in hac materia non sit , determinavit Sacramentis
causalitatem , & quia non certè physicam , saltem mora-
lem , quam plures defendunt . Illustratur exemplô : quia
erat dubium inter scholas , an requiratur contritio , vel
actus charitatis formalis , vel sola attrito , Concilium
nihil constituit , vel determinavit .

ARTICULUS II.

De effectu primario Sacramentorum.

35 Effectus Sacramentorum, ut vidimus, est gratia sanctificans, eaque hoc ipso Sacramentalis, de qua hic agemus; licet S. Thomas hic *quest. 63. solùm agat de charactere, ut effectu aliquorum Sacramentorum; quia tamen alia passim præveniunt gratiam quæ Sacramentum, eam discutiemus.*

Questio hæc, utrum gratia Sacramentalis aliquid superaddat gratiæ communiter sumptæ? in terminis est S. Thomæ hic *quest. 62. art. 2. per totum, & consistit in hoc, an gratia à Sacramentis causata sit alia à gratia communis: cum enim gratia sanctificans possit sine Sacramentorum usu infundi, illaque semper trahat secum virtutes, & dona, S. Thomas vocat gratiam virtutum & donorum; at verò si gratia per Sacraenta acquiritur, cum possit non esse, & plerumque non sit prima, insuper ad alios adhuc fines ordinetur, videtur esse distincta, & meritò; alias omnis gratia esset Sacramentalis, quod falsissimum est; nam & vetera habuerunt gratiam, cum nostra quoad effectum formalem primarium convenientem, nec tamen habuere gratiam nostram: ergo saltem est aliqua distinctio vel ex ipso principio. Dein sicut Sacraenta non ordinantur ad diversos fines, saltem accidentales, ita eorum gratia, quæ est radix illorum effectuum. Est ergo specialis questio, an gratia Sacramentalis distinguatur intrinsecè ab illa communis: ubi non conveniunt Doctores; nam aliqui gratiæ Sacramentali aliquid intrinsecum superaddunt per modum habitus, aut qualitatis complectæ, aut modum aliquem, seu modificationem intrinsecam: alii negant omne additum intrinsecum, ita Cajetanus, Gon-*

net, multique Thomistæ, quibus accedit Suarez hic *disp. 7.*
sect. 3. Theologia Salisburgensis verò hic addit jus quoddam morale, quod etiam docent communiter alii, gratiam Sacramentalis gratiæ communi tantum superaddere jus morale ad specialia auxilia in ordine ad finem, cujuslibet Sacramenti specialem, obtainendum. Hoc autem jus morale juxta Theologiam Salisburgensem, aliósque Clarissimos Antecessores in recto non est distinctum ab ipsa gratia, sed penè obliquum, quatenus gratia Sacramentalis connotat hanc sui causam, id est, hoc determinatum Sacmentum, ad hos, vel illos fines ordinatum, & hoc ipso importare institutionem Christi cum auxiliis specialibus. Quam opinionem conformiter communi nostrorum doctrinæ, licet aliter sentiam apud me, sustineo contra Eximum P. Wenzl, qui modum aliquem distinctum admittit: sed consequenter ad alia, suppono, cuilibet Sacramento annexa merita Christi in ordine ad speciales fines, & sic cuivis annexum esse jus, seu potius exigentiam, consequenter ad finem, à Christo intentum. In quo sensu

Dico: Gratia Sacramentalis gratiæ communiter tali³⁶ superaddit jus quoddam morale.

Prob. Gratia Sacramentalis juxta S. Thomam distinguitur à gratia communiter dicta per aliquid superadditum: sed illud superadditum est jus morale. min. prob. ex S. Thoma *cit. loc. in Corp. ad finem:* *Gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona quoddam Divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem:* sed hoc auxilium non est actuale, nec habituale per modum qualitatis, aut modi intrinseci: ergo est habituale morale, scilicet jus, seu exigentia ad auxilium actuale, deserviens fini cuiuslibet Sacramenti. Min. quoad prima duo membra facilè ab Adversariis nostris

conceditur ; nec enim habitus datur ad habitum , nec qualitas ad qualitatem ; quoad modum verò superadditum aliunde patet , eum esse superfluum ; cùm omnia sínè illo haberí , & explicari possint ; nec S. Doctor illius meminerit. Ex quo

Confirmatur I. Si daretur modus distinctivus , consisteret in auxilio superaddito vel habituali , vel actuale : sed nec habituale , nec actuale auxilium est modus : ergò non datur modus distinctivus. Maj. est S. Thomæ , qui præter auxilium nihil admittit. Min. prob. Nullus modus est principium operativū : sed ornne auxilium sive habituale , sive actuale , ordinatum ad effectum producendum , est principium operativum : ergò nullus modus est auxilium habituale , vel actuale. Maj. est certa ex notione modi quā talis , cuius solum est determinare. Min. verò in ordine ad quæstionem non est dubia ; loquimur enim de auxilio in ordine ad certos actus eliciendos , in finem Sacramenti obtinendum.

Confirmatur II. Sicut gratia communis ordinatur ad perfectionem animæ , in quantum est participatio Naturæ Divinæ , virtutes autem , & dona perficiunt potentias animæ in ordine ad suos actus : ita Sacra menta juxta S. Thomam ordinantur ad quosdam speciales effectus : ergò sicut quoad primum requiritur principium intrinsecum operativum , etiam requiritur in posteriori : sed modus non est tale principium : ergò illud superadditum non est modus.

37 Dices , modum illum non esse auxilium , sed tantum intrinsecè exigere auxilium conveniens , sicut apud nos jus morale exigit simile auxilium. Sed præterquam quod juxta S. Thomam illud superadditum sit in genere auxiliī ;

Con-

Contra est I. Illud exigitivum auxilii debet fundari in quidditate Sacramenti vel physica, vel morali: sed nullus modus fundatur in quidditate rei, cuius est *modus*, alias non esset *modus*: ergo *modus* non potest esse exigitivus auxilii. Maj. est certa; quia in omnibus physicis exigentiae intrinsecæ in ipsa natura radicantur, vel in se immediate, vel mediate in proprietatibus, consequentibus ad esse: modus autem non est proprietas Sacramenti; ex quo evidens est minor, nullum modum fundari in quidditate rei. Hinc

Contra est II. Nullus modus infert distinctionem specificam in illo, cuius est modus: sed omne exigitivum specialis auxilii infert distinctionem specificam in gratia Sacramentali: ergo nullus modus est illud exigitivum. Maj. est clara; quia modus supponit rem in linea sua constitutam. min. autem est expressè S. Thomæ hinc *ad 3. Ratio Sacramentalis gratiae se habet ad gratiam communiter dictam*, sicut ratio speciei ad genus. Et quidem non quomodocunque, sed tanquam ad genus univocum; nam statim addit S. Doctor: *Unde scut non equivocè dicitur animal communiter dictum, & pro homine sumptum: ita non equivocè dicitur gratia communiter sumpta, & gratia Sacramentalis.* Ex quibus sponte suâ fluit argumentum Philosophicum: omne inferius univocè participans rationem genericam, infert distinctionē specificam: sed omnis gratia Sacramentalis tanquam inferius participat univocè rationem gratiae communiter dictam: ergo omnis gratia Sacramentalis infert distinctionē specificam: hanc autem inferre non potest modus ex sua natura: ergo non potest esse illud exigitivum specialis auxilii. Dicta hactenùs sunt ad hominem de modo superaddito.

Dices I. cum Adversariis: gratia Sacramentalis superaddit auxilium in nostro sensu: ergo superaddit modum
Gg 3

dum intrinsecum. Prob. consequentia: illud auxilium, per quod DEUS concurrit ad effectum, Sacramento proprium, debetur quasi connaturaliter, & est proportionatum intrinsecæ perfectioni talis formæ; hoc enim exigit suavis rerum dispositio: sed si gratia habitualis nullum haberet modum, ac perfectionem intrinsecam super gratiam communem, nulla auxilia ipsi connaturaliter responderent: ergò necessariò debet illi superaddi aliquis modus, seu determinatio intrinseca, vi cuius exigat specialia auxilia. Min. est facilis; nam si aliquid intrinsecum requiritur propter connaturalitatem; illud verò non sit habitus, aut qualitas, debet esse modus, aliud enim intrinsecum non est.

Confirmatur ad hominem contra nos: omne inducens novam speciem, habet aliquid essentiale intrinsecum: sed juxta nos ex S. Thoma gratia Sacramentalis inducit novam speciem: ergò habet aliquid essentiale intrinsecum: sed non aliud, quam modum. In hoc consistit difficultas, quam modus tam parùm tollit, quam parùm tribuit prædicatum specificum.

Respondeo ad argumentum concedo antec. nego consequentiam; quia utrumque falsum est; debuisset enim vi antecedentis inferri hoc: ergò superaddit aliquid intrinsecum, quod in sensu physico negamus, & dato illo intrinseco physico, non esset modus. Ad prob. concedo Maj. nego min. ad prob. min. dico, illud superadditum juxta Salisburgenses non esse physicum, sed morale, exigens auxilium supernaturale physicum, correspondens gratiæ Sacramentali.

Ad Confirmationem distinguo Maj. omne inducens novam speciem physicam, habet aliquid essentiale intrinsecum, concedo Maj. omne inducens novam speciem moraliter talem, nego Maj. & sic dist. min. nego conf. ad

assumptum Respondeo, hoc prorsus alienum esse à Philosophia, quod modus inferat novam speciem essentialiter intrinsecè; cùm accidat rei, in sua linea completæ.

Dices II. S. Thomas admittit distinctionem specificam physicè talem: ergò admittit intrinsecum physicè tale. Antec. est certum; qui *cit. loc. ad 3.* facit paritatem inter animal respectu inferiorum, & inter gratiam *ut sic* respectu inferiorum gratiarum Sacramentalium: ergò sicut inferiora e. g. homo superaddit animali aliquem gradum specificum intrinsecum, & formaliter essentialē: ita gratiæ Sacmentales superaddunt gratiæ *ut sic* aliquid intrinsecum formaliter essentialē, & quidem in genere physico.

Respondeo negando cons. nam paritas S. Thomæ, si totum corpus legatur, tantum in eo consistit, quod sicut animal dicitur univocè respectu hominis, & Leonis, ita gratia *ut sic* respectu gratiarum Sacramentalium, & in hoc consistit paritas, ut ex objectione colligitur, quæ sic habet: *Omnis additio, vel substractio in forma variat speciem: si ergo gratiæ Sacmentalis addat aliquid super gratiam virtutum, & donorum, sequitur, quod æquivoco dicatur gratia.* Vult ergò S. Thomas omnes gratias inferiores convenire univocè in gratia *ut sic*, addere tamen aliquid morale specificum: sicut inferiora animali superaddunt aliquid physicum specificum: nec paritas est collatio unius cum altero quoad omnia, alias sicut rationale est substantiale animali, ita & ratio specifica Sacramentalis deberet esse substantialis, quod vanissimum est.

Quæres, in quo consistat illa distinctio specifica mortalis?

Respondeo, consistere in ipso Sacramento, importante institutionem Christi, & ordinationem ad certos effectus Sacramenti, ad specialem finem ordinatos, quod col-

colligi potest ex fine cuiuslibet Sacramenti. Quod colligendum est ex Sacramentis in specie. Interim hoc dico: sicut ex eo, quod Christus Sacramentum novæ legis ordinaverit ad gratiam instrumentaliter causandam, eidem in actuali applicatione confert virtutem causativam, quam Sacramentum supposita ordinatione exigit connaturaliter, alias non posset gratiam causaliter attingere: ita, quia DEUS hoc Sacramentum ordinavit ad hunc finem, aliud ad alium finem, gratia semel causata ex institutione priori exigit proportionaliter ordinationem secundam ad certum finem tale, & tale auxilium proportionatum fini &c. Et hic consistit totum, & propter tales ordinationes sunt merita Christi Sacramentis diversimodè annexa, pro diversitate scilicet finis. Et amabo, quid prœdest ad ista modus ille, contra quem unicè agimus?

ARTICULUS III.

Quenam Sacraenta causent gratiam primam, & quæ secundam?

41 **G**ratia prima simpliciter dicitur illa, quæ per Baptismum ordinariè confertur; hæc enim sicut nullam in subjecto supponit, ita recepta aperit januam Ecclesiæ, & subjectum aliorum Sacramentorum capax reddit. Alias prima dicitur, quæ nullam supponit, sed justitiam deperditam restituit, quod præstat gratia poenitentialis: atque hinc Sacraenta conferentia primæ gratiam dicuntur *mortuorum*, ut Baptismus, & Poenitentia: alia vivorum, utpote supponentia gratiam, quæ est vita supernaturalis, & hæc sunt Sacraenta cætera, ut Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Aliud insuper est gratiam causare *per se*, aliud *per accidens*. Primum fit tunc, quando Sacramentum causat gratiam con-

formiter ad institutionem suam, significationem, & finem; ut Baptismus causat per se gratiam primam, quia ad illam dicto modo ordinatur, Evcharistia vero gratiam secundam ex eadem ratione. Per *accidens* contingit, quando non confertur ad dictam ordinationem, sed quasi secundariò, aut ex aliquo consequenti, ut si Baptismus confertur homini jam anteà contrito; tunc enim non conferet gratiam primam, sed secundam, & per *accidens*, vel secundariò, & ex consequenti, quatenus per *accidens* est existentia gratiae in subiecto baptizando, unde ex consequenti, quia Baptismus non potest causare primam, causat secundam, & sic de aliis.

Aliam adhuc distinctionem in causalitate adstruit Jo-42 annes à S. Thoma, Reding, & cum illis Theol. Salisburg: hic §.4. quos sequitur Eximus P. Wenzl. Distinguunt illi in Sacramentis rationem genericam & specificam, ajuntque, Sacmenta mortuorum causare gratiam secundam *per se*, secundum rationem genericam, & Sacmenta vivorum gratiam primam, licet non secundum rationem specificam, de qua sola verificatur ly *per accidens*. Ratio hujus est, quod scilicet quodvis Sacmentum sit ordinatum ad causandam gratiam, & consequenter illam tanquam effectum contineat intra suam virtutem productivam, sub quacunque demum ratione formalis illum attingat, ex quo conficitur argumentum: omnis causa continens effectum in sua virtute, eundem causat *per se*, non *per accidens*; sed Sacmenta mortuorum e.g. tanquam causae continent gratiam secundam in sua virtute: ergo eandem causant *per se*, non *per accidens*. Maj. est ipsis certa. Min. prob. Sacmenta nostra continent in sua virtute substantiam gratiae; ita enim habemus ex Conciliis, quod ipsi admisimus: sed substantia gratiae in subiecto (sermo nunc est de Sacmentis vivorum) nondum præbabente gratiam, est

**est gratia prima : ergò Sacra-
menta continent in sua virtu-
te primam gratiam.**

43 Confirmatur : Illud Sacra-
menta conferunt *per se*,
quod conferunt vi suæ institutionis : sed vi suæ institutio-
nis Sacra-
menta vivorum conferunt gratiam primam, &
mortuorum gratiam secundam : ergò *per se* conferunt.
Maj. est certa ; quia ex institutione habent virtutem. Min.
prob. Omnia Sacra-
menta Evangelica sunt signa practica
gratiæ sanctificantis quæ talis : sed aliquando non possunt
esse signa practica gratiæ sanctificantis quæ talis, nisi eo ipso
sint signa practica gratiæ primæ : ergò Sacra-
menta vivo-
rum vi suæ institutionis aliquando sunt signa practica cau-
sativa primæ gratiæ. Hoc argumentum ulterius deduc-
cunt, sed non in eodem dicto principio omnia conve-
niunt.

Additur denique dilemma : vel Sacra-
menta vivorum
ad productionem gratiæ primæ requirunt concursum al-
terius instrumenti & Sacra-
menti, vel non ? Neutrū dī-
ci potest : non primum, ut per se patet. Non secundum ;
quia vel per se producunt effectum, utpote contentum
in virtute, absque adventu alterius causalitatis ; vel ne-
quidem per accidens producent ; neque enim applicatio,
vel dispositio subjecti facit, ut causa producat effectum,
qui est extra sphæram, & activitatem ipsius. Hoc mo-
tivum est alterius sententiæ, quod tamen præter disputa-
tionem de nomine nihil evincit.

44 Dico I. Sacra-
menta mortuorum per se causant pri-
mam gratiam, & Sacra-
menta vivorum secundam.

Ratio est plana : id causant, ad quod instituta, & or-
dinata sunt : sed mortuorum instituta, & ordinata sunt
ad primam ; quia ordinariè aliam non supponunt ; & vi-
vorum ad secundam ; quia ordinariè supponunt primam :
ergò illa causant per se primam, ista secundam. Maj. &
min.

min. ex institutione est certa, & confirmatur ex priori articulo de diverso Sacramentorum fine.

Confirmatur ex Concilio Florentino suprà cit. postquam statuit, nostra Sacra menta continere gratiam, illamque dignè suscipientibus conferre, subjungit: *Per Baptismum enim spiritualiter generamur, & hic effectus Baptismi est per se talis: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur Divine Eucharistiae almoniâ.* Ubi cuivis Sacramento specialis suus effectus assignatur: sed spiritualiter generari fit per gratiam primam, augeri, roborari, nutriti &c. per gratiam secundam: ergò.

Dico II. Sacra menta vivorum non possunt causare 45 primam gratiam, neque mortuorum secundam *per se.* Hæc Sententia etiam in sensu AA. est communior.

Prob. I. Illud tantum Sacra menta causant directè, & *per se*, quod ex peculiari institutione causant: sed Sacra menta vivorum *per se* ex peculiari institutione tantum causant gratiam secundam, & mortuorum primam: ergò tantum directè, & *per se* illa causant secundam, & hæc primam. Maj. patet ex eo; quia tota virtus ex institutione habetur. Min. ex cit. Florentino est certa; per Baptismum enim vii institutionis non *per se* augemur in gratia; nec per Confirmationem nutrimur spirituali almonia; nec per spiritualem almoniam vitam acquirimus, cùm vita præsupponatur, essetque prorsus per accidens, si almonia vitam tribueret.

Si dicas, hæc solummodo procedere de ratione spe-46 cifica, non generica.

Contra est, & probatur II. Distinctio ista gratis, & sine fundamento in ordine ad hunc finem singitur: ergò ex ea nihil probatur. Antec. prob. Sacra menta vim conferendi gratiam habent ex sola institutione Christi: sed

Christus non fecit institutionem secundum rationem genericam, & generalem, ac communem omnibus Sacramentis: ergo illa distinctio in ordine ad hoc gratis fингitur. Maj. est certa. Min. prob. Christus solum fecit institutionem in Sacramentis singulis, ad suos quodvis ordinando effectus, & fines; successivè enim instituit modò hoc, modò alterum Sacramentum: ergo non fecit institutionem in genere; ubi enim habetur alia tradita ab Apostolis, & Successoribus? Verum quidem est, quod Sacra menta in aliquibus rationibus communibus e. g. in signo, in causalitate &c. convenient, & ideo intellectus noster habeat fundamentum, rationes communes à specificis abstracti; sed quid hæc abstractio, quæ prorsus nostræ speculationis est, quid ad institutionem practicam & moralem conferat? cum institutio ex se respiciat particularia, ut rectè hic sđ. 2. advertit Suarez. Ad summum ergo exinde deducitur convenientia Sacramentorum in gratia ut sic, quæ tamen in particulari unì convenit aliter, quam alteri, huic ut prima, alteri ut secunda.

47. Confirmatur ex Tridentino Sess. 7. Can. 6. illud Sacra menta per se causant, quod continent, illud vero continent, quod significant; ibi enim Tridentinum dicit, Sacra menta continere gratiam, quam significant: sed Sacra menta vivorum non significant gratiam primam, nec mortuorum secundam: ergo hæc non causant per se secundam, nec illa primam. Min. desumitur ex notione cuiuslibet Sacramenti, præsertim ex ejusdem forma.

Accedit, quod juxta priorem Sententiam omnia Sacra menta saltē ex ratione genericā sint instituta ad tollendum peccatum mortale, quod tamen videtur alienum à traditione, & sensu Ecclesiaz; ut patet ex utroque Concilio. Insuper Suarez cit. loc. infert, posse aliquem, scilicet in casu, ubi non habetur copia confitendi (aliter cain non

non procederet illatio) cum attritione, cognita ut tali, ad Eucharistiam accedere, hoc ipso, quod ex institutione, saltem secundum rationem genericam sit ordinata ad conferendam gratiam primam; & quidem stante hac Sententia posset Sacramentum vivorum ex intentione assumi ad gratiam primam, forte ex ea ratione; quia licet non possit praestare in casu peccati mortalis effectum specificum alimoniae, posset tamen praestare effectum genericum, scilicet conferre gratiam primam. Sed huic illationi, quæ speciem problematis habet, non insisto; nam non potest Sacramentum vivorum ex intentione assumi sine peccato mortali, quando non potest praestare effectum specificum propter impedimentum ab assumente cognitum, quia sic indignè assumeretur contra institutionem Christi juxta illud Apostoli *i. Corinth. cap. II. v. 20. Probet autem se ipsum homo: Et sic de Pane illo edat, et de Calice bibat &c.* qui autem cum attritione cognita ut tali accederet, non se ipsum probasset; ideoque judicium sibi manducaret, & biberet: deberet ergo Sacramentum omittere &c. & hoc ipsum dicunt Adversarii; nam expressè requirunt ignorantiam inculpabilem peccati latentis in accessu Sacramentorum vivorum, secùs non conferunt gratiam primam. Sed tamen ex hoc ipso infero contra Adversarios, esse in ipsorum casu merè per *accidens*, Eucharistiam conferre gratiam primam etiam secundum rationem genericam; quia reverè per *accidens* est, quòd propter impedimentum non possit conferre alimoniam, tanquam effectum specificum ex ratione specifica: ergo per accidens etiam est, Eucharistiam secundum rationem genericam conferre gratiam primam.

Ad argumentum superius Respondeo, negando Maj. 48 simpliciter; nam sèpè causa continet effectum, alias non præduceret; si tamen eundem non intendat hic & nunc

influendo, producit eum per accidens; in hoc sensu docui suprà in Parte I. à num. 12. ex S. Thoma, foeminam ab agente particulari produci per accidens. Quia agens intendit ex ipsa natura particulari perfectius, consequenter masculum, & per accidens, scilicet ex defectu seminis, aut virtutis plasticæ emergit foemina, in quo sensu foemina monstrum est, licet secundum agentia universalia propter proportionem speciei foemina sit per se intenta à natura universalis. Nec exinde potest sumi argumentum pro universalitate Sactamentorum ad gratiam; quia illa causalitas est juxta dicta ex sola institutione particulari, neutiquam afficiente Sacramentum ut sic, cuius etiam nullum habetur vestigium. Clarius Major illa rejicitur ex productione veri monstri e.g. foetus cum tribus pedibus, aut duplice capite, qui utique continetur intra virtutem causæ, & tamen per accidens producitur; cum nec natura eum primariò juxta Philosophiam intendat, nec agens particulare: ergo falsum est, quod omnis effectus contentus in causa producatur per se.

In forma responderi potest: omnis causa continens effectum illum producit per se, si ad illum sit per se ordinata, eumque per se intendat, concedo Maj. secùs nego Maj. & concessâ min. nego conf. ad ulteriore probationem concedo totum Syllogismum; nam reverè Sacra menta vivorum continent augmentum gratiæ, quod causant per se, & substantiam gratiæ, quam causant per accidens.

Ad Confirmationem distinguo Maj. illud Sacramenta causant per se, quod causant ex institutione primariò, & per se tali, concedo, ex institutione secundariò, & per accidens tali, nego Maj. & sic distincta min. nego conf. ad prob. dico, Sacra menta Evangelica esse haud dubiè signa

pre-

practica gratiæ vel primæ, vel secundæ; si autem requiras signum gratiæ simpliciter, eandem significant per accidens, sicut causant.

Ad Dilemma respondeo, concessâ Maj. neg. min. & dico, non requiri alterius concursum; neque tamen exinde sequitur, quod per se producant effectum; vel quod dispositio subjecti faciat, ut causa producat effectum, qui est extra sphæram; admittimus enim gratiam primam esse intra sphæram & activitatem Sacramenti vivorum, quam tamen non producit ordinatione primaria, sed secundaria propter impedimentum subjecti, quod facit, ut, si non possit causare secundam, causet primam, sed mere per accidens, sicut indispositio subjecti, vel phantasia in fœminis facit, ut causa producat monstrum per accidens, quæ debebat effectum ab agente intentum producere per se.

Cæterùm dicta hactenùs procedunt ex suppositione⁴⁹, illius Sententiæ, quod defacto omnia Sacra menta possint aliquando conferre gratiam primam, licet plurimi negent, ullum Sacramentorum vivorum posse absolutè loquendo conferre gratiam primam ex ratione: illud conferre non possunt, ad quod instituta non sunt: at verò instituta non sunt ad primam gratiam, nec per se, nec per accidens: ergò gratiam primam conferre non possunt. Ideò sicut Sententia affirmativa defendit, Confirmationem, Eucharistiam, Extremam Unctionem ex attrito, qui inculpabiliter ignorat peccatum latens, facere contritum, ita aliorum negat. Sed tamen Sententia affirmativa est probabilior ex ratione, & Authoritate S. Thomæ, estque magis pia in solatium fidelium, ut, si aliquis accedat ad Sacramentum vivorum, putans se justum, & ideo dispostum, inculpabiliter tamen ignarus peccati latenter;

tentis, quod adhibita morali diligentia non potuit detegere, talis perciperet gratiam primam virtute ipsius Sacramenti, licet dein habitâ notitiâ peccatum deberet subjecere Clavibus Ecclesiaz.

QUÆSTIO III.

De aliis Salutis acquirendæ mediis in statu naturæ reparatae.

Debet equidem fieri prima Quæstio de Baptismo, quia est prima post naufragium universale *Tabula*, & aperuit primò januam Cœlorum, ut suprà diximus; quia tamen non pauca de eo dictis prioribus inspersimus, præsertim in Parte II. & de Sacramentis in genere Parte bac III. nihil ultrà dicendum existimamus, præsertim cum & tempore, & foliis constricti simus: ideoque ad secundam *Tabulam* transimus, nempe ad Pœnitentiam, tam quæ Sacramentum, quam ut virtutem, promiscuè de utroque dicturi, quæ omnia prudens Lector noverit distinguere.

ARTICULUS I.

De Essentia Pœnitentie.

Suppono ex Tractatu de Sacramentis in genere, omne Sacramentum essentialiter constare ex verbis, & rebus juxta dicta priori articulo. Ibidem, licet Scotus in 4. Sent. dist. 14. quest. 1. & dist. 16. quest. 1. Essentiam Pœnitentie adæquate constitutat in absolutione, ex ratione, quod Sacerdos sit minister totius Sacramenti: Minister autem est talis respectu solius absolutionis: ergo in absolutione consistit totum Sacramentum. Oppositam Scoto

to Sententiam defendit Sotus Thomista in *4. dist. 14. quæst. 3.* docetque, hoc Sacramentum constitui ex actibus pœnitentis, scilicet ex dolore, confessione, & satisfactione, ex clusa abolitione, quæ opinio absurdior videtur, quam illa Scoti, præsertim ex ratione Soti, qui ideo absoluti nem excludit; quia Pœnitentia se non tenet ex parte Sacerdotis, consequenter ex actibus pœnitentis tantum consurgit. Misera prorsus ratio, quæ instantias habet domesticas; neque enim Baptismus, vel Confirmatio, vel Ordo se tenet ex parte Baptizantis, Confirmantis, aut Ordinantis in sensu ipsius: ergo forma ab ipsis prelata non est pars essentialis? pessima illatio, quam nec Sotus in illis admittit, & aliunde est contra Concilia, Florentinum & Tridentinum.

Novi aliquid etiam Durandus more suo eodem loco docet, dum contritionem à ratione partis excludit, cù quod non sit sensibilis, quæ tamen talis ex confessione sensibili sufficit Tridentino. Ne autem Scotus videatur male docuisse, ipsius, & aliarum mentem novissimum quidam Scotista, & Vir prorsus Eximus in *part. 2. de Sacramento Pœnit.* sic explicat: fateri Scotum cum Bosco, & aliis, actus pœnitentis esse partes essentiales in hoc sensu, quatenus essentialiter, & indispensabiliter prærequiruntur ad absolutionem, ita ut Sacramentum sine illis administrari non valeat: negare tamen, esse partes intrinsecas, ex opere operato gratiam conferentes. Juxta quam explicationem dici possunt actus pœnitentis partes in oblioquo, connotative & presuppositivæ, quod in debito sensu videtur omnino probabile.

Dico I. Pœnitentia cum absolutione tanquam partes i formaliter moraliter intrinseca, etiam importat essentialiter contritionem & confessionem ut partes.

Prob. I. ex Tridentino *Sess. 14. cap. 3.* ubi dicit de for-

ma, Poenitentia formam (in quâ præcipue ipsius vis posita est) in illis ministri verbis positam esse: *Ego te absolvō &c.* & infra addit: *funt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius poenitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio.*

Nec obest, quod Concilium dicat, quasi partes; nam solum vult, quod non sint ita strictè partes, sicut in composite physico. Simile quid diximus de Sacramentis in genere num. 44. ubi S. Th. ait: *Ex verbis, & rebus fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut ex forma, & materia.* Ubi per ly quodammodo solum vult, quod ex rebus, & verbis non ita propriè fiat unum, sicut ex materia & forma substantiali fit unum per se, fieri tamen unum saltem compositione physicè extrinseca & moraliter, seu concretivè intrinseca, quæ compositiones dicuntur quodammodo tales respectu compositionis physicæ strictè talis.

Prob. II. Omne Sacramentum habet partem formalē & materialem: sed in Sacramento Poenitentia pars formalis est absolutio: ergo actus poenitentis pro partibus materialibus habendi sunt. Cons. prob. Illæ sunt partes materiales, quæ à parte formalī determinantur, cum ex se indifferentes sint: sed actus poenitentis determinantur ab absolutione, ut pertineant ad rationem Sacramenti: ergo sunt partes materiales.

Confirmatur: Hoc Sacramentum juxta omnes est per modum processus judiciarii, ubi Poenitens se ipsum accusat, dolet de suo delicto, petitque absolvi, volens de cetero satisfacere justitiae: sed iste processus intelligi non potest, si aliqua ex partibus assignatis tollatur; si enim tolles dolorem, non erit poenitens: si confessionem, non erit accusans: ergo hæ partes sunt moraliter essentiales Poenitentia.

52 Dico II. Satisfactio non est pars essentialis, sed tantum integralis, in quo sensu accipienda sunt Concilia, Florentinum & Tridentinum.

Ratio desumitur ex regula partium, quæ sicut affirmativè talis fallit, & ideo à Thomistis aliis rejicitur, ita negativè evidenter concludit: illud non est pars essentialis alicuius totius, quo non posito, ponitur tamen totum essentialis: sed non posita satisfactione, positis tamen cæteris partibus, tamen Sacramentum tanquam totum essentialiter ponitur: ergò satisfactio non est pars essentialis. Maj. est clara; quia posito essentialiter toto, ponuntur partes essentiales, quia sunt ipsum totum.

Regula partium, est hæc: *illud est pars, quo posito ponitur totum, & quo sublatu, tollitur totum:* sed hæc regula affirmativè universaliter non procedit; quia sequerentur absurdia; sic enim etiam potestas absolvendi esset pars poenitentiaz: intentio ministri, peccata ipsa tanquam materia remota; imò & Episcopus consecrans Sacerdotem, denique Christus ipse, omnium Sacramentorum Author; quia positis his solis, non ponitur Sacramentum, & sublati tollitur: ergò pars intrinseca essent? nego ilatum.

Quod verò satisfactio sit pars integralis, docet clarissimè S. Th. hic *quest. 9. art. 2. in Corp. & art. 3. ad 3. ex eo,* quod hoc Sacramentum sit ordinatum ad extincionem omnis culpæ & poenæ, quæ debetur justitiæ Divinæ: sed absque satisfactione non est perfectè deletivum omnis poenæ temporalis: ergò satisfactio est pars saltem integralis. Maj. est Catholica. Min. est clara, nisi in hoc Sacramento adsit perfecta omnino contritio, & amor DEI perfectus; tunc enim deletur reatus culpæ, & poenæ, quod tamen per accidens est; & hoc non obstante, tamen juxta me satisfactio Nomine Christi imposita, maneret pars integralis propter institutionem Christi, & sic, etsi aliquis haberet revelationem post Sacramentum Poenitentiaz, si vi tam reatum culpæ, quam poenæ esse re-

remissum, deberet satisfactionem impositam persolvere propter integratem Sacramenti; quia est ritus à Christo institutus, & usus communis Ecclesie.

53 Dices I. Sublata confessione non tollitur Sacramentum Poenitentiae, & tamen non est pars essentialis: ergo etiam non obstante, quod sublata satisfactione non tollatur Sacramentum, tamen erit pars essentialis. Antec. prob. In homine muto, qui confiteri non potest, & magis in illo, qui nec signum dare potest, ut amens per morbum factus, & sensibus destitutus, & tamen solent tales absolvit.

II. Si satisfactio est pars solum integralis, poterit esse validum Sacramentum, etsi poenitens haberet propositum non exequendi satisfactionem: hoc autem pugnat contra processum judicij; quia juxta dicta reus deberet habere animum satisfaciendi justitiae; alias non verè doleret, nec sincerè reconciliationem quereret. Sequela prob. pars integralis ex suo conceptu non pertinet ad essentiam rei; sed quod ad essentiam non pertinet, potest sine destructione illius abesse: ergo.

Respondeo ad I. Quod debeat semper adesse vel formalis, & articulata confessio, vel æquivalenter talis e.g. in nutu, aut alio signo externo, vel in Scriptura porrecta Sacerdoti, quæ sustinent vices verborum, ut diximus de Sacramentis in genere. Itaque docet S. Doctor 3. part. q. 60, art. 6. ad 1. supra relatus: *Res visibles Sacramentorum dicuntur verba per quandam similitudinem, in quantum scilicet participant quandam vim significandi, que principaliter est in ipsis verbis.* Talibus, qui nullum possunt dare signum, tantum impertitur absolutio conditionata, si fuerint capaces illius, & sic sicutem præsumptivè adsunt requisita, & hoc multi hodiè probabiliter docent propter maximam necessitatem hujus Sacramenti, licet alii non-

minùs probabiliter velint, in tali casu non dandam esse absolutionem. Ex quo patet disparitas. Respondeo in super satisfactionem imponi primùm jam confessò Sacramentò, vel omninò suspendi propter impedimentum.

Ad secundum cum Salmanticensibus hic *num. 115.* & Magistro Gonet potest negari sequela Major. ad probat. potest distingui min. quòd nullo modo pertinet ad essentiā potest abesse, concedo min. secūs nego min. Ratio est, quòd quidem satisfactio exercitè talis non pertineat ad essentiam, sed tamen radicaliter, & exigitivè spe-
cata, consequenter licet poenitens non teneatur in voto explicito habere satisfactionem, habere tamen debet in voto implicito, in ipso Sacramento involuto. Hujus instantiam Salmanticenses dant in risibilitate, quæ radicalliter, & exigitivè est de essentia hominis, & inhærentia exigitivè talis de essentia accidentis, neutra tamen exercitè talis. Quidquid sit, ratio nostra est in objectione insinuat; quia talis habens propositum formale non excusandi poenitentiam, esset pertinax, ideoque non verè doleret, nec haberet sinceram intentionem faciendi, quod jubet Christus, & Ecclesia, sive qua invalidum est Sacramentum. Ex quo tamen nihil inferas contra Confessionem; quia illa exercitè talis est necessaria, vel in se, vel in æquivalenti, aut præsumptivè in ordine ad Absolutionem, vel ideo tantum in casu dicto conditionatam.

Dices III. Contra prīmam conclusionem extra do-54
Strinam Scotii; quamvis apud Salmanticenses illam præstansissimi Theologi, ut Cajetanus &c. nunc erroneam, nunc periculosam, alii temerariam, & plusquam temerariam dicant, quæ tamē censura in tantum Doctorem mihi temeraria videtur; nec enim suo fundamento destituitur; præterquam enim, quòd unum, & alterum Concilium. Contritionem & Confessionem quasi materiam dicant, in

quo se primò fundant Scotistæ , sic argumentari ex Scoto licet : omne Sacramentum est ex institutione per se ad significandam gratiam : sed sola absolutio significat, & causat gratiam : quia sola practicè significat remissionem peccati, ut constat ex verbis Absolutionis: ergò sola absolutio est Sacramentum. Maj. est certa, nec minor dubia ; quia sicut Contritio & Confessio non absolvunt, nec remittunt peccatum, ita nec significant, nec causant gratiam.

Confirmatur : Quod ad gratiam concurrit, non se merè passivè habet : sed actus poenitentis, sicut & ipse poenitens se merè passivè habent : ergò non concurrunt ad gratiam. Maj. est apud Thomistas certa, qui non solum concursum moralem, sed & physicum Sacramentis tribuunt. Min. patet ; quia actus cum poenitente subordinantur absolutioni ministri se activè, mediante absolutione, habentis. Alia multa congeruntur sed vanè ; sequetur enim, non esse distinctionem inter ministrum, & poenitentem quoad causam gratiæ, & poenitentem se ipsum absolvere, dum ad gratiam concurrit &c. quod tamen absurdum est ex eo est; quia potestas remittendi peccata non est data poenitenti, sed Sacerdoti.

Respondeo ad argumentum concedendo Maj. negando min. & causalem adjectam. Pro quo supponendum est tanquam apud omnes certum, quod actus poenitentis præcisè spectati, nec relati ad rationem Sacramenti, sint prorsut indifferentes, qualia sunt etiam verba absolutionis, nisi ad esse Sacramenti referantur ; alias absolutio esset Sarramentum , quotiescumque Sacerdos ea verba proferret, et si nullus poenitens adsit, quod etiam Scoto absurdum videri debet ; proin partes ad se invicem referantur, necessum est ; quia verba Sacerdotis debent super aliquid cadere, ideoque actus poenitentis subjiciuntur ab-

absolutioni; jam ex his consurgit illud complexum ex actibus poenitentis, & absolutione, cui sicut Christus simul sumptis dedit rationem Sacramenti, ita illis alligavit vim significandi, & causandi gratiam. Instantia pro hoc est in Baptismo, aliisque Sacramentis, ubi vis significandi, & conferendi gratiam non est data soli formæ. Ex quo colligitur responsio in forma. Ad ultima, quod contritio, & confessio non absolvant, verum est, quod ex parte illarum partium non significatur formaliter explicitè illarum effectus, involvatur tamen implicitè, quatenus sunt partes totius complexi.

Ad Confirmationem Respondeo: transl. Maj. nego min. ad prob. dico, solum evinci, quod absolutio sit pars principalis, ut in aliis Sacramentis est; interim non excluduntur à ratione causæ saltem moralis respectu gratiae, quia non sola absolutio movet DEUM ad conferendam gratiam: sed omnes partes simul sumptus, quibus Christus gratiam conferendam alligavit. Instantia prior de aliis Sacramentis assumi potest. Exinde tamen non sequitur, quod poenitens se ipsum absolvat; quia se non habet *principaliter*, sed solum *dispositivè*, quatenus à DEO excitatus, & elevatus actum elicit, cui Christus cum aliis partibus gratiam promisit, eamque rectè disposito confert.

Si dicas: ergo Pœnitentia non causat gratiam physicè. Nego illatum; nam totum Sacramentum vi ultimæ partis, quæ elevatur, causat gratiam physicè influendo. Pro quo repetenda sunt dicta de Sacramentis in genere.

Sed ne dissimuletur difficultas, quæ ex Authoritate S. Thomæ multum augetur; nam ille in 4. Sent. dist. 22. quest. 2. art. 1. *Questiuncula 1. ad 2.* expressè docet, quod pœnitentia exterior, que est signum Sacramentale, in hoc Sacramento representat cooperationem recipientis NB. non influentiam, que est

est ex parte agentis extrinseci, & ideo NR. non competit ei, quibz gratiam aliquo modo causet. Hic textus multum fatigat Salmantenses huc dubio 2. num. 83. sed immerito. Nam

Respondeo I. Juxta Tridentinum suprà cit. in forma quidem esse præcipue positam vim Poenitentiaz; ex hoc tamen infero, etiam vim aliquam esse positam in ceteris partibus; alias in forma non esset præcipua vis, & sic in aliis omnino esset nulla, quod est clarum.

Respondeo II. S. Thomam esse clarissimum in Summa 3. part. quest. 86. art. 6. ubi exprefè querit, utrùm remissio culpæ sit effectus poenitentie? Et in Corp. resolvit affirmativè, postquam etiam dixit, quòd actus humani ex parte peccatoris se habeant materialiter, scilicet quatenus determinantur à forma, sic ait: Omne autem Sacramentum producit suum effectum, non solum virtute forme, sed etiam virtute materie: ex utroque enim est unum Sacramentum. Dein claritatis causâ addit paritatem: Sicut remissio culpæ sit in Baptismo, non solum virtute forme, sed etiam virtute materie, scilicet aquæ: principalius tamen virtute forme, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit (alias aqua osset: indifferens) ita etiam remissio culpæ est effectus poenitentie: principalius quidem ex virtute clavium, quas habent ministri &c. Et statim: Secundariò autem vi actuū poenitentis. Quæ utique clarissima sunt, & hucusque di-ctis conformia? Ad textum ergò ex Lib. 4. Sentent. dico, S. Thomam potius locutum fuisse ex Mente Magistri Sent. non verò determinativè ex sua, quam postea in Summa declaravit. Et ita in aliis materiis ipsi Salmantenses respondent.

ARTICULUS II.

In quibus verbis consistat absolutio?

56 **D**Ocùre Antiquiores, & Nobiles quidam Thomistz, inter quos eminent Medina, & Petrus Sotus, non sem-

semper requiri verba formalia, sed sufficere virtualiter talia, consistentia in Scriptura, vel nutu, saltem in necessitate: Ex. gr. si nemo haberi possit, qui absolvat morientem, præter Sacerdotem elinguem, aut mutum, cui pro valore Sacramenti concedunt nutum volentis absolvere, quod etiam docuisse dicitur Pontius ex Ord. Min. *disp. 46. q. 2.* quæ Sententia à multis censuras passa est; forsitan imerito; quia saltem videtur probabilis, cum hoc Sacramentū sit summæ necessitatis, ideoque etiam adhibenda sint dubia sub conditione. Quidquid tamen sit, non videtur hæc opinio conformis Conciliis Florentino, & Tridentino, quæ in omnibus Sacramentis requirunt verba, formalia, excepto solùm Matrimonio, et si & illud ordinariè & regulariter verbis formalibüs confici debeat. Nec potest ex Matrimonio fieri paritas ad formam Poenitentiae; quia Matrimonium consistit in contractu legitimo ad rationem Sacramenti elevato: sicut ergo ante elevationem erat validus, solo nutu celebratus, ita & modò, si verba haberi non possunt; quia Concilia quoad hoc nihil in contractu mutarunt. Nec etiam obest paritas à judicio forensi, in quo reus potest absolvi per Scripturam, vel nutum; nam disparitas patet ex institutione Christi, requirentis verba, quod colligimus ex Conciliis.

Ante Conclusionem suppono, non esse validam ab-solutionem in sensu deprecatorio, vel concionatorio, ut putant Lutherani, sed requiri sensum auctoritativum per modum Sententiae. *Absolvat te DÉUS.* Quod est fundamentum Hæretorum, dicentium, DÉUM solum remittere peccata, ideoque solum absolvere, ministros verò tantum annuntiare remissionem à DÉO factam, quam opinionem jam S. Thomas antea prævidit, & evertit hic *quest. 84.*

K k

art.

art.3. ad 3. Solus DEUS (ait ad similem objectionem) per Auctoritatem & à peccato absolvit, & peccatum remittit: Sacerdotes tamen utrumque faciunt per ministerium: in quantum scilicet verba Sacerdotis in hoc Sacramento instrumentaliter operantur in Virtute Divina. Auctoritas ergo Sacerdotis, agentis in Persona Christi, est instrumentalis, & subordinata auctoritati principali, ideoque ante absolutionem dicit: Dominus noster JESUS Christus te absolvat, & ego Auctoritate ipsius &c. demum ait: Ego te abservo &c. Hoc colligi potest ex aliis Sacramentorum formis, praesertim Eucharistiae, quod Sacerdos sustineat vices Christi, dum ait: Hoc est Corpus meum: scilicet Corpus Christi. Ista proin non fiunt per modum annuntiationis, sed ex Auctoritate de super commissa.

58 Dico I. Absolutio essentialiter consistit in his solum verbis: *Absolvo te.* Ita S.Th. ait citatè statim loco in Corp. ad finem. Quem sequitur Tridentinum loco cit. cap.3.

Ratio est: In illis solis consistit essentialiter forma-
hujus Sacramenti, per quæ recte, & sufficienter exprimi-
tur effectus Sacramenti: sed per illa sola recte, & sufficien-
ter exprimitur effectus Sacramenti, scilicet remissio pec-
catorum: ergo in illis solis essentialiter consistit forma.
Maj. est universalis in omnibus Sacramentorum formis,
ubi habita per certa verba significatione effectus Sacra-
mentalnis, nihil additur, & si adderetur, censeretur super-
fluum. min. constat; nam cæteris partibus suppositis suf-
ficienter intelligitur, verba Sacerdotis cadere super pec-
cata remittenda.

Nec opus est, ut effectus explicitè per verba formaliter significantia exprimantur; sufficit enim expressio im-
plicita; ut constat in forma Baptismi, ubi ablutio à pec-
cato originali solum essentialiter per verbum *Baptizo*, signi-
ficatur, non per illa: *Ego te abluo à peccato originali in nomi-*
ne

*ne Patris Eccl. quæ instantia pugnat à fortiori pro forma
Poenitentiae, per quam clarius habetur ejusdem effectus,
quam per alteram formam effectus Baptismi.*

Quòd verò Florentinum, & Tridentinum appo-⁵⁹
nant &c. intelligendo à peccatis tuis, nil evincit, nisi quòd
addenda sint illa verba propter consuetudinem Ecclesiæ,
vel præceptum, juxta quam etiam addenda sunt *in nomine
Patris Eccl.* non tamē ideo sunt de essentia. Certè si Conci-
lia judicassent illa verba à peccatis tuis esse essentialia, appo-
suissent explicitè; aliàs in re maximi momenti dedissent
Doctrinam mancam.

Confirmatur ex eo: S. Thomas cit. *quest. 84. artic. 3.*
ubi formam hujus Sacramenti examinat, non addit ly Eccl.
nam post multa, præsertim quòd forma deberet significare id, quod in Sacramento agitur, scilicet effectum, qui intenditur, in Corp. concludit: *Unde patet, quòd hæc est conve-
nientissima forma hujus Sacramenti: EGO TE ABSOLVO.*
Ex quo reflexio est, quòd Tridentinum vel maximè resperxerit ad Sententiam S. Thomæ, præsertim in materia Sacramentorum, quod nemo, nisi invidi negant; si ergò Concilium censisset, verba alia esse de essentia, debuisset S. Doctorem corrigere. Nam ly Eccl. solum apposuit propter Florentinum, quod jam antea id fecit, quódque non potuit latere S. Doctorem: est ergò signū, quòd verba à peccatis tuis explicitè ponenda S. Thom. non judicaverit essentialia. Imò aliqui cum Reverendissimo Lendlmayr negant, quòd in Florentino sit appositū Eccl. sed non ausim hoc asserere; quia saltem in mea editione Lugdunensi jam Anno 1564. editâ expressè appositum est. Accedit his omnibus, quòd in Catechismo Romano dicatur, formam consistere in his verbis: *Ego te absolvō, nullumque addatur Eccl.* Quod Salmanticenses aliàs multi roboris aestimant, utpote jussu Tridentini additum;

hīc tamen contrarium non attendunt, sed minūs rectē; quia si semel meretur Authoritatem, non illam deperdit, docendo his Doctoribus contrarium.

60 Dices I. Breviter cum P. Gormaz. hīc *disput. 4. sect. I. num. 187.* non sufficit, quōd verba absolutionis significant effectum Pœnitentiæ ratione partium præcedentium, & circumstantiarum: ergō verba se solis debent effectum significare. Ant. prob. actus præteriti, & circumstantiæ extrinsecæ nec concurrunt particulariter ad significandam absolutionem; alias circumstantiæ essent de essentia, quod est absurdum: ergō verba formæ se solis, & per se debent hanc determinatam significationem habere præcisâ circumstantiis.

II. Ad hominem: Verbum solum: *Absolvo*: sinè particula *te* non sufficit ad formam absolutionis; quia ex se non significat absolutionem personæ præsentis, consequenter *absolvo* est indifferens: ergō nec sufficiunt illa sola: *Absolvo te*: quia sunt indifferentia ad quamcunque absolutionem sive à censuris, sive à peccatis &c.

Confirmari potest ex ratione: si peccator post dolorem, & confessionem omnium diceret: absolve me à peccatis, quia reverā dispositus sum, & Confessarius dicaret: *Absolvo*: absolutio esset invalida, non obstante, quōd persolūm *absolvo* propter circumstantias haberetur significatio Sacramenti quoad effectum: ergō idem est in *absolvo te*.

Respondeo ad primum negando antec. ad prob. nego antec. quia partes concurrunt ad significationem saltem minūs principaliter, & ideo illatio illa: alias circumstantiæ, id est, *actus præcedentes essent de essentia*, distinguo: essent de essentia totius Sacramenti, & complexi, concedo, de essentia formæ, nego, hanc enim quoad verba per mo-

modum partis non ingrediuntur, sed solum quoad significationem effectus.

Ad II. Respondeo, illam opinionem speculativè esse probabilem, posséque sine angustiis defendi, quod & ego facerem, nisi potius in his insistendum esset Conciliis, re-quirentibus expressionem *subjecti*, ut patet in Baptismo. Hinc in forma juxta Concilia, & communem DD. con-cedo ant. nego cons. & suppositum; nec enim ly *absolvo te* suppositis circumstantiis est indifferens, sed restringitur ad absolutionem à peccatis. Absolutio à censuris in rituali præmittitur per verba: *Absolvo te in primis ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (prout fuerit persona) & interdicti: ergò absolutio subsequens non est amplius indifferens ad censuras.*

Ad Confirmationem sumitur disparitas ex Conciliis, quæ expressionem *subjecti* requirunt; sic nec valeret juxta communem Baptismus, si Baptizandus diceret ministro, *Baptiza me*, quia dispositus sum, voloque suscipere Ba-ptismum: & minister diceret: *Baptizo in nomine Patris, & Filiī &c.* Qui autem contrarium disputationis gratiâ voluerit defendere, debet talem etiam Baptismum admittere ut validum ex iisdem prorsus rationibus: in praxi autem hanc Sententiam judico periculosam, ac temera-riam.

Dico II. Sensus formæ, de quo multa disputatio est, rectè explicatur per hæc: *Ego tibi propter legitimam confessionem confero pro Sententia mea absolucionis gratiam de se remissionem peccati.* Ita communiter nostri DD. cum Theologia Salisburgensi. Idem re ipsa docet S. Thom. cit. q. 84. art. 3. ad 5. ubi alias expositiones rejicit, & in fine ait: *Eſſet autem perfectior expositio: Ego te absolvo, id eſt, Sacramen-tum absolucionis tibi impendo.* Hæc tamen explicatio S. Thomæ remotior est ab impugnatione illorum, qui ly à pec-catis

catis tuis tanquam essentialia defendunt; quia S. Thomas non facit explicitam mentionem peccatorum in sua expositione, proin magis est pro nostra Conclusione.

Hæc assertio non indiget probatione; cum clara sit ex dictis. Hoc solum discriminis est inter expositionem formæ Baptismalis, & Pœnitentiaz, quod hæc essentialiter supponat peccatum aliquando commissum; sive dein jam remissum sit, sive non. Ratio est; quia ad Sacramentum Pœnitentiaz essentialiter requiritur confessio, & dolor tanquam materia: sed non potest esse confessio, nec dolor, ubi nullum est peccatum: ergo nec Sacramentum Pœnitentiaz. Alia ratio est in Baptismo, ubi sensus formæ est quasi conditionatus, vel radicalis; insuper Baptismus habuit ex. gr. in B. Virgine alterum effectum, scilicet aerationem januz in Ecclesiam, & jus percipiendi Sacramenta alia. Hinc B. Virgini concedimus Baptismum, & negamus Sacramentum Pœnitentiaz, quidquid sit de Virtute.

62 Dices: Etiam absolutio est conditionata, si nullum revera adsit peccatum, nec antea commissum. Respondeo, hoc esse re ipsa impossibile sine speciali dono; quia etiam justus de die septies cadit. Si tamen Confessarius certum peccatum non posset elicere, ut saepè fit in juvenibus innocentibus, & benè educatis, qui peccata verè etiam venialia non committunt, vel imperfectiones tantum ex inconsideratione leviter admissas, posset dari absolutio conditionata juxta illud absolutioni præmitti solitum: *in quantum possum, et tu indiges.* Ita docuit Suarez de Confessione, qua Sententia usus est Clarissimus Antecessor p.m. P. Cœlestinus Pley Seittenstettensis in Austria inferiori, quaque & ego saepè usus sum. Interim hoc prorsus per accidens est, ut contingit in Extrema Unctione, ubi reliquæ peccatorum non adfunt amplius in moribundo.

Ex

Ex quibus omnium aliorū Sententiae rejiciuntur, qui expositionem per modū declarationis tantum admittunt, vel quocunque utantur modo, si non fiat per modum iudicii; Nam Tridentinum est clarum *Seff. 14. Can. 9.* ubi: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitenti &c.* *Anathema sit:* quo multi vapulassent Antiquiores, si non ante Tridentinum scripsissent.

Quæres de contritione in ordine ad Sacramentum? Suppono tanquam Philosophicè, & Theologicè certum, contritionem perfectam, & attritionem distingui species; quia dividunt genus contritionis *ut sic*, & in mea opinione univocè; quia genus dicit dolorem supernaturalem de peccato commisso, quem æqualiter participant. Hic autem dolor *ut sic*, cùm possit ex diversis motivis procedere, à contritione perfecta restringitur, ad motionem amoris DEI super omnia: ab attritione ad motivum etiam *timoris*, & *turpitudinis* peccati: cùm ergò sit convenientia quoad participationem generis passiæ sumpti, & in prædicato differentiali disconvenientia, habetur certitudo Philosophica; & quia insuper contritio habet aliud effectum in linea moris, & supernaturalitatis in ordine ad DEUM, colligitur distinctio Theologica.

Dico I. Attritio specificè sumpta est actus honestus,⁶³ utilis, & supernaturalis. ita Tridentinum *cit. Seff. 14. & cap. 4. contra Lutherum.*

Ratio Theologica superiùs attacta est, quòd omnis actus ad gratiam disponens debeat esse honestus, utilis, & supernaturalis; alias non esset dispositio proportionata: sed talis actus est attritio juxta Tridentinum: ergò attritio est actus honestus, utilis, & supernaturalis.

Hæc

Hæc verò Tridentini declaratio nititur claris Scripturæ textibūs, ex quibus unicum adduco ex *Math. 10. v. 28.* ubi Christus ipse Discipulis ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Sed utique Christus non præcepit actum dishonestum, inutilem, & proflūs naturalem; cùm omnia ordinaverit ad finem supernaturalem, scilicet beatitudinem: ergò attritio est talis, quam diximus.

Quæ, licet à Tridentino definita sint, non tamen ab aliquibus DD. Lovaniensibus fuerunt agnita; nam post Tridentinum docuère cum Bajo: *Attritio, que gehenna, & pœnarum metu concipitur finè dilectione benevolentiae DEI propter se, non est motus bonus, ac supernaturalis.* Quæ propriè est contradictoriè opposita declarationi Tridentini cit. loc. idc. oque merito damnata ab Alexandro VIII. Dec. 7. anno 1690. ex qua damnatione confirmatur nostra assertio.

64. Dico II. ad valorem, & fructum Sacramenti non requiritur contritio perfecta ex se justificativa. Est contra antiquiores, Alensem, Occamum, & specialiter contra Cajetanum in Commentario S. Thomæ, docentem, qnòd absolutio aliud non significet, & præstet, quām ablationem reliquorum peccatorum, scilicet pravarum inclinationum.

Prob. I. contra priores: Pœnitentia per se est Sacramentum mortuorum: ergò per se non requirit contritionem tanquam materiam. Antec. suppono ex Tridentino, S. Thoma, & aliàs communi aliorum. Conseq. prob. si contritio perfecta, & justificativa supponitur, tunc pœnitentia actualis non habet effectum formalem primarium, qui est gratia sanativa: sed sic non est Sacramentum mortuorum: ergò vel non requiritur con-

contritio perfecta, vel Pœnitentia non est Sacramentum mortuorum, ex primaria intentione instituentis.

Nec sufficit, quod contritio involvat votum pœnitentiaz, ideoque juxta Tridentinum cit. 14. sess. cap. 4. contritioni sine voto Sacramenti adscribenda non sit iustificatio. Nam sic arguo: ut contritio justificet, saltem requiritur votum Sacramenti, quando actualiter haberinon potest: ergo dum actualiter haberi non potest, requiritur contritio cum ejusdem voto. Conseq. prob. quod præstat contritio cum voto Sacramenti, hoc Sacramentum præstat cum attritione, faciendo effectivè ex attritione contritionem: ergo tunc non requiritur contritio; quia alias Sacramentum actu receptum non habet effectum, quod est contra Concilium, & omnem Doctrinæ consequentiam. Pro cuius confirmatione

Prob. II. contra Cajetanum: nullum Sacramentum⁶⁵ mortuorum est institutum *per se* ad delendas reliquias peccatorū, præter Extremam Unctionem, quæ est Sacramentum vivorum: sed Pœnitentia est *per se* Sacramentum mortuorum: ergo *per se* non est instituta ad delendas reliquias peccatorum. Maj. & min. constat; conclusio est in Ferio.

Nec sufficit, per reliquias illas intelligi pravas inclinationes. Nam contra est I. nullum hujus gratuitæ assertio-
nis habetur fundamentum vel in S. Scriptura, vel S. Thoma: ergo non debet adstrui pro effectu specifico Pœnitentiaz. Consequentia prob. est commune omnibus Sacramentis, hominem magis disponere ad DEUM vel per primam gratiam, vel ejus augmentum, & sic aliquo modo pravas inclinationes supprimere: ergo nulla est ratio.

III. Si esset effectus primarius Pœnitentiaz, tunc de-
beret absolute tollere; sicut aliud Sacramentum mortuo-
rum

gum citè susceptum totaliter præstat effectum primarium, ut in Baptismo: sed hoc in Pœnitentia est falsum; quia inclinationes pravæ etiam post Pœnitentiam durant: ergo illas suppressere non est effectus primarius Pœnitentia.

66 Ceterùm adversa sententia mihi semper visa est ex hoc principio falsa, quod nos modò in statu gratiæ non essemus melioris conditionis, quam alii in statu veteris Legis, quibus necessaria fuit ad delendum grave peccatum contritio perfecta, cum non habuerint Sacramentum ex se deletivum culpæ gravis, vel si habuerunt, fuerunt æquales, quod est contra jugum suave, & onus leve in hac Lege: cum ergo per Sacra menta hæc, & vel maximè per Pœnitentiam nobis singulari modo communicentur merita Christi jam existentia, debet facilior esse ad gratiam via, quam fuerit in Lege veteri: sunt enim Sacra menta fontes illi, qui ex latere Christi in nos defluxeré, ut de Sacramentis in genere ex S. Thoma, aliisque diximus.

67 Dico III. Sententia docens, ad Sacramentum Pœnitentia sufficere attritionem ex motivo turpitudinis peccati, vel ex Gehennæ, & pœnarum metu, absque actu formalí dilectionis DEI, est probabilior.

Prob. illa sententia est probabilior, quæ proximiùs accedit ad Concilium Tridentinum: sed hæc sententia proximiùs accedit, quam altera: ergo est probabilior. Maj. suppono Theologicè certam; quia declaratio Concilii generalis est regula, ac mensura Doctrinæ Theologicæ. Min. prob. Tridentinum loquens de attritione nullam facit mentionem, saltem explicitè, de aliquo actu dilectionis DEI, dicit verò cit. Ieff. 14. cap. 4. de attritione: *Quamvis sine Sacramento Pœnitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad DEI gratiam in Se-*

cramento Poenitentiae impetrandam disponit. Ergò haec sententia magis accedit ad Tridentinum.

Nec dicas, Concilium solum intelligere, attritionem esse dispositionem remotam, in quantum timor ille potest excitare amorem, & cum illo conducere ad gratiam impetrandam in Sacramento; nam gratis hoc dicitur, cum nulla prorsus fiat mentio dispositionis remote, vel dilectionis; debuisset autem Concilium utriusque meminisse in re tanti momenti, ex quo valor Sacramenti, nostraque justificatio dependet.

Urgebis ex Tridentino cit. loc. ubi post verba citata 68 statim subjungit: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivite ad Jone prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, Et misericordiam à Domino impetrarunt:* sed ille timor fuit tantum dispositio remota ad misericordiam impetrandam: ergo & metus ille gehennæ. Ante c. est certum, quia timor non impetrat misericordiam sine dilectione: consequentia vera est ex paritate à Concilio facta.

Respondeo concedendo Maj. & min. neg. conseq. & paritatem; quia Concilium solum facit paritatem in concusione, & metu, quibus pœnitens adjustus viam sibi ad justitiam parat. In Ninivitis ergo erat metus dispositio ad contritionem justificativam necessariò eliciendam: in nobis autem beneficiò Sacramenti utentibus est dispositio ad gratiam in Sacramento impetrandam, ita ut Sacramentum ex opere operato (supposita illa dispositione) nobis conferat gratiam. Et exinde est iuxta dicta melior conditione nostra, quam illorum erat in Lege veteri.

Dixi autem: est probabilius, stando Tridentino, & ratio-69 nibus inde deductis, & deducendis; altera tamen est tutior, quæ exigit aliquem amorem, non quidem justificativum, sed magis dispositivum ad fructum Sacramenti; videtur enim satè conveniens, ut qui tanquam filii per peccatum

¶ Patre recessimus, ad eundem contrito corde, & novo amoris affectu redeamus, præsertim cum Tridentinum cit. loc. alium metum gehennæ non admittat, nisi qui voluntatem peccandi excludat, & cum spe veniae, quam utique esse, & tuius confirmat Charitas. Pro quo supponendum est, non omnem actum dilectionis justificare, nisi ad rationem Charitatis substantialem perveniat, ut supra ex S. Doctore de dolore diximus. Habetque haec opinio fundamentum in Sanctis Patribus, præsertim in Augustino, & Thoma, quos magnò allegat numerò Illustrissimus D. Petrus Lambertus le Drou ex Ord. Eremit. S. Augustini, postea Episcopus Porphyriensis &c. qui pro hac sententia integrum, & insignem tractatum edidit Romæ in conspectu Ecclesiæ non contradictis, ut proin haec opinio, præterquam quod sit tutior, verè tamen Theologicè probabilis, facilèque defendi posset, nisi majorem discussione peteret, & vel ideo consultum esset, meò quidem judiciò, ut Confessarii pœnitentes suos ad aliquem dilectionis actum excitare contenderent.

ARTICULUS III.

Utrum Contritio debeat esse universalis?

70 **S**tatus questionis est in eo, an, qui plura peccata mortalia commisit, & de illis dolet, dolor ille debeat esse ex motivo ita universalis, ut se vel formaliter, vel saltem virtualiter extendat etiam ad ea, quorum invincibiliter non recordatur? vel an sufficiat saltem ad valorem dolor particularis ex motivo speciali turpitudinis hujus peccati, aliud peccatum non sufficientis? à quo dependet illud, an Sacramentum Pœnitentiæ possit esse validum, & informe, seu infructuosum sine gratia. Pro quo potest ponni qualiscunque casus: e. g. Petrus commisit furtum, & cibis.

ebrietatem, illius recordatur, dolet de illo ex speciali motivo turpitudinis, cum sit contra principium naturæ, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. ideoque confitetur cum proposito non peccandi de cætero, & seria voluntate restituendi ablatum, invincibiliter oblitus ebrietatis; jam cum peccatum in hac Providentia non remittatur, nisi retractatum, nec aliàs unum mortale possit remitti sine altero, dubium est, an non Sacramentum Poenitentiae saltem sit validum, quamvis sine fructu?

Ante resolutionem nota, totum fundamentum partis negativæ fundari in cit. Sess. 14. cap. 4. quem textum, ut clarè pateat, per numeros integrum, ne toties partes teneamur repetere, dabimus.

- I. *Contritio, que primum locum inter dictos poenitentie actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso.*
- II. *Cum proposito non peccandi de cætero.*
- III. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapsi ita demum preparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divine Misericordie, & voto praestandi reliqua conjunctus fit.* Quæ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.
- IV. *Declarat igitur sacra Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem:* V. *Sed veteris etiam odium continere juxta illud: projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prevaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum.* In num. 1. & 2. agit de contritione ut sic, quia omnia communia sunt. In tertio videtur agere de contritione perfecta, licet de ea nihil dicat clarè; quia tamen ait, quovis tempore eam fuisse necessariam, & sic in Lege veteri, ubi non sufficiebat attritio, intelligenda est contritio perfecta, nisi forte ea vis sacrificiis tribuatur cum contritione non perfecta, uti tribui sine errore posset propter promissionem DEI, ut de Sacramentis in genere diximus. Illa, quæ post

Baptismum declarat, magis contritionem cum voto poenitentiae significant, quam postea per verba supra cit. docet: præterea, et si contritionem banc &c. postea subjungit contritionem imperfectam, de qua prius; sed quid quid sit de his, qua assertivè non dicimus, tamen assertivè

Dico: Datur Sacramentum Poenitentiae validum, & informe.

71 Prob. I. ex casu posito; Petrus dolet de furto commisso ex speciali ratione turpitudinis contra dictamen naturale pugnantis, non dolet de ebrietate invincibiliter ignorata; furtum etiam rectè confitetur cum proposito sincero non peccandi de cetero, sic absolvitur: in hoc casu Sacramentum est validum, nec habet effectum: ergò potest dari Sacramentum Poenitentiae validum, & informe. Prob. assumptum: omne Sacramentum habens omnia requisita, est validum: sed in hoc casu Poenitentia habet omnia requisita, scilicet intentionem, tam ex parte suscipientis, quam ministri, habet materialiter & formam: ergò est validum. Maj. per enumerationem patet, & magis in Baptismo, Confirmatione, Ordine, Extrema Unctione, & Matrimonio. Min. est probata, & conclusio in forma.

72 Prob. II. & confirmatur: si quid deesset, foret dolor universalis: sed hic non requiritur: ergò ex hoc capite nihil deest. Prob. min. omnis dolor procedens ex consideratione turpitudinis particularis, huic peccato, non alteri convenientis, est legitima dispositio ad valorem Poenitentiae: sed hic dolor ex turpitudine furti, non convenienti e. g. ebrietati, est particularis: ergò est sufficiens dispositio ad Sacramentum, consequenter est validum. Syllogismus est in forma debita. Maj. autem

Confirmatur gratis. Si Petrus solum furtum commisisset, & de eo dicto modo doleret cum proposito non pec-

peccandi de cætero in furto, utique Sacramentum esset validum? ergo etiam erit validum, si ita doleat in concurso alterius peccati, invincibiliter ignorati, quod se habet, ac si non esset, ac proin nihil impedit quoad valorem, & in hoc solo est paritas. Ulterior probatio patet ex solutione Objectionum.

Objicatur I. Cum aliquo, qui argumenta principalia collegit, quorum substantia hæc est, & quidem fundamentalis. Ex cit. *textu Tridentinum* pro parte essentiali agnoscit illud, quod ad gratiam DEI in Sacramento impetrandam disponit: idem est ergo esse partem essentialiem, ac esse dispositionem ad gratiam: ergo Sacramentum, stante attritione, vel semper est nullum, vel semper est validum, similque fructuosum.

Respondeo I. Aliam esse partem essentialiem quoad valorem, aliam quoad fructum Sacramenti. Verum est, attritionem in nostro casu non esse partem essentialiem, in ordine ad fructum Sacramenti, esse tamen essentialiem quoad valorem.

Respondeo II. Concilium utique velle, ut Sacramentum recipiatur cum fructu, non tamen per hoc, si non adsint illare requisita quoad fructum, excludere dispositionem quoad valorem, cuius instantiam ex eodem Concilio habemus in *Seff. 6. de Justif. cap. 6.* ubi docet, quomodo nos præparare debeamus ad illam, dicens: *Dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare mandata DEI.* Antecedenter vero docet, in justificandis requiri fidem, spem, & odium adversus peccata admissa, odium ac detestationem eorum, hoc est, *eam paenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Certum est ergo, quod Concilium requirat in ordine ad fructum Baptismi præter fidem, & spem, etiam paenitentiam; non tamen paenitentiam, id est, contritio requiritur ad valorem; quia datur

etur Baptismus validus, & informis etiam juxta AA. ergò non est idem, esse dispositionem quoad fructum, & esse talem quoad valorem.

Respondeo III. Dist. antec. Tridentinum pro parte essentiali agnoscit, quod ad gratiam disponit, & id tantum quoad fructum, concedo antec. quoad valorem nudè, nego antec. unà cum conseq. nec enim est idem, esse partem essentialē, ac esse dispositionem ad gratiam, ut patet in Baptismo, Confirmatione, ac Ordine &c. ubi partes secundum se indifferentes sunt quoad valorem, aut fructum, ut infrà videbimus, quia dependent à dispositione subjecti.

74 Objetitur II. *Postits omnibus, que sunt de essentia Sacra-menti Pœnitentie, semper sequitur effectus, qui est remissio peccati: Sed hoc modo Sacramentum, quoties est validum, toties non est informe: ergò cùm Adversarii, inter quos su- mus, supponant, uti debent, omnia essentialia semper in-tervenire, nunquam dabitur validum, & informe. Min. est certa, Conclusio est in forma. Maj. verò traditur à S. Thoma in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 4. ad 2.*

Respondeo I. textum illum, ut allegatur, non esse in S. Thoma cit. loc. licet posset ex illo inferri tale argumen-tum: S. Doctor, ubi etiam in Supplemento quæst. 29. art. 8. in Corp. quod ex 4. Sent. desumptum est, dat disparitatem inter Extremam Unctionem, Baptismum, Confirmationem, Transubstantiationem, & Pœnitentiam, quod scili-licet Extrema Unctio non semper habeat effectum ex par-te ministri operantis (*non ex opere operato Ministri*, ut ali-qui citant S. Thomam, quod absurdum est; nec aliquod Opus operatum est à Ministro in sensu vero) sicut illa Sacra-menta; habent enim duo prima Characterem, tertium verò conversionem panis, & vini; de Pœnitentia verò ait

ait S. Doctor: Et remissio peccati in poenitentia NB. ex istente contritione, que est de essentia Sacramenti poenitentiae. Hoc est totum, quod S. Thomas dicit, nec nos negamus. Hinc

Respondeo II. ut prius dist. existente contritione tam sufficiente quoad fructum, quam quoad valorē fit semper remissio peccati, concedo Maj. sufficiente tantum quoad valorem, non quoad fructum nego Maj. & sic distinct. min. neg. consl. hujus instantiam habemus in ipso S. Doctore 3. part. quest. 68. art. 6. in Corp. ubi docet, necessariam esse ad Baptismum Confessionem peccatorum, non quidem externam, sed internam, quæ fit DEO, ratio ipsius est: *Non enim potest inchoare novam vitam, nisi paeniteas eum veteris vite*, ut dicit Augustinus, ex quo sic retorqueo: possitis omnibus essentialiter requisitis in Baptismo semper consequitur effectus, qui est remissio culpæ Originalis, & aliarum: sed hoc modo Sacramentum Baptismi quoties est validum, toties non est informe: ergo cum AA. nostri supponant, omnia essentialiter requisita adesse, nunquam dabitur Baptismus validus & informis. Clarius id ipsum explicat S. Thomas cit. loc. art. 7. ubi docet, quod in baptizando requiratur intentio suscipiendi Baptismum, & in Corpore. ab initio ait: *Dicendum, quod per Baptismum aliquis moritur veteri vita peccati, Et incipit quandam vitæ novitatem* &c. quod dein ex Apostolo Rom. 6. demonstrat, & ad finem ex Augustino probat, quod, sicut requiritur, ut in Baptismo aliquis moriatur veteri vita, ita requiratur voluntas, qua intendat vitæ novitatem. Et tamen infra quest. 69. artic. 9. docet, Baptismum posse esse validum, & informem, ex quo sic: non obstante, quod Tridentinum cit. cum S. Thoma velit, Baptismum validum, & fructuosum, potest nihilominus juxta AA. esse validus, & informis ex defectu dispositionis ad fructum conducens,

M m

tis,

atis, positis tamen omnibūs essentialibūs quoad valorem: ergo & ita in Pœnitentia.

Nec obest, quòd contritio in Pœnitentia sit pars, non tamen in Baptismo, ubi est mera dispositio.

Nam respondeo, parùm referre, an sit pars, vel essentialie requisitum, sicut intentio ministri, vel suscipiens, non est pars, & tamen unā ablatā, non fit Sacramentum: sic etiam dicimus, contritionem in Pœnitentia esse partem, & simul dispositionem ad solum valorem, vel fructum etiam, prout fuerit, & primo cessante nullum dari Sacramentum, ex defectu autem universalitatis in contritione, stante tamen motivo turpitudinis, fieri Sacramentum validum, & tamen informe. Pro quo repetenda est paritas.

75. Objicitur III. Odium veteris vitæ requiritur in illo dolore, qui possit esse pars Pœnitentiaz: sed ubi attritio est particularis, ac ad certum peccatum determinatur, ita, ut nec virtualiter, vel generaliter ad aliud quodvis peccatum se extendat, non datur odium vitæ veteris: ergo talis attritio non est pars. Maj. est ex Tridentino cit. num. 4. Et 5. min. est certa; quia odium vitæ veteris est odium totius, secundum quod indefinitè aliquid est DEO odibile.

Respondeo juxta dicta disting. Maj. odium veteris vitæ hic & nunc occurrentis memoriaz debet esse in illo dolore, qui possit esse pars Pœnitentiaz validaz concedo Maj. etiam Sacramenti fructuosi neg. Maj. & dist. min. attritio nostra non est odium vitæ veteris memoriaz occurrentis, nego min. totius vitæ etiam invincibiliter ignoratæ, concedo min. & negatur suppositum, quòd debeat in ordine ad valorem se extendere ad omnia peccata, etiam non occurrentia; nego insuper, quòd ex motivo universalis debeat procedere attritio, alias deberet ex Tridentino ex-

expungi dolor ex turpitudine speciali alicujus peccati, quæ est particularis, & alias juxta Tridentinum de illis jubemus dolere, quæ confiteri debemus; debemus autem confiteri solum illa, quæ memoriæ occurunt: ergo de illis ita dolere, quod solum ad claritatem, non ad probationem assumo. Sed

Instabis: Dolor non debet minus patere, quam propositum: sed propositum debet se extendere ad cœnanda omnia peccata futura, & non ad sola confessa, & memoriæ occurrentia: ergo etiam dolor debet se ita extendere. Min. est certa huic Adversario. Maj. est Tridentini suprà citati.

Respondeo concedendo Major. negando min. quæ præfidenter tanquam certa supponitur ab homine, qui non potest, vel saltem non debet ignorare Sententiam sibi contrariam. Dico ergo, sufficere propositum non peccandi de cætero in peccato memoriæ occurrenti ex motivo ejusdem turpitudinis. Pro quo serviet confirmatio in probatione gratis data. Deinde falsum est etiam in altera Sententia, quod debeamus habere intentionem formalem quoad omnia futura singulatim, quod nimis esset difficile.

Urgebis I. Vel poenitens vult plenè reconciliari cum DEO, veniam peccatorum obtainere, & vitam æternam, evitata gehennæ, serio aquirere, vel non? si non: ergo non intendit suscipere Sacramentum reconciliationis, consequenter nec ponit dolorem debitum, ut partem essentialem juxta Trident. si verò intendat: ergo saltem generaliter, virtualiter, ac interpretativè intendit auferri, detestari, ac deprecari omne id, quod perfectam reconciliationem impedit: sed tale impedimentum est quocunque peccatum sine discrimine: ergo ex supposi-

eo intentæ perfectæ reconciliationis, dolorem oportet esse universalem saltem *virtualiter*.

II. Dolori universalis ad peccata inculpabiliter oblita non obstat ipsa oblivio; quia supposita intentione perfectæ reconciliationis cum DEO, oblivio nihil facit: ergo non potest recurri ad oblivionem. Prob. antec. cum causalib: volens efficaciter reconciliari cum DEO, *virtualiter*, & *implicitè* vult destruere omne id, quod huic fini obstat; qui enim vult finem, debet etiam velle media, & remotionem impedimentorum: sed poenitens sincerè agens vult efficaciter reconciliari DEO: ergò poenitens vult destruere omne id, quod huic fini obstat. Maj. prob. à pari: ideo actus charitatis perfectæ est virtualis destructio omnis peccati, etiam non occurrentis memoriae, quia est amor efficax boni, cui oppositum est omne malum mortale: atqui efficax intentio reconciliationis est similiter efficax amor hujus boni, nec potest negari, quod sit amor concupiscentiae: ergò erit similiter virtualis detestatio omnis peccati mortalis.

III. Denique: vel poenitens vult tantum dolere de peccatis hic & nunc occurrentibus, & propter eorum deformitatem præcisè, ita, ut nolle dolere de aliis, si pariter occurrerent: aut vellet etiam de aliis sibi occurrentibus dolere? si prius: deest animus sincerus se reconciliandi; cum hoc modo reconciliatio non sit possibilis: ergò ponit attritionem ineptam, atque invalidam: si posterius: dolor continet virtualem generalitatem extensionis ad omne peccatum commissum: consequenter saltem indirectè alterum peccatum remittitur: ergò Sacramentum est validum simul, & fructuosum. Hæc est summa argumentorum, quibus pars adversa nititur.

78 Pro facilitiori dicendorum intelligentia, notandum, quod à Tridentino cit. Sess. cap. 5. de Confessione requiratur,

ut postquam quis diligentius se excusserit, & conscientie sue finis omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & DEUM suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, que diligenter cogitanti non occurunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, de quibus fideliter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me Domine. Et hoc in nostro casu supponimus, nisi enim ignorantia sit invincibilis, cessat questio. Etiam supponimus, taliter confidentem velle serio reconciliationem cum DEO, qua se excidisse putat per peccatum furti; & quia ex Tridentino scit, sufficere attritionem ex particulari motivo speciali turpitudinis, eam applicat; quia hic & nunc non est dispositus ad actum Charitatis saltem virtualem, imò nec eum necessarium existimat, uti nec aliud motivum universale, & rectè. Hoc supposito

Respondeo ad I. partem, poenitentem omnia illa-79
velle, & ideo suscipere Sacramentum reconciliationis secundùm se tale, obstante tamen, ipso prorsus innocentia, obice quoad fructum, valore salvo. Ad II. partem nego illatum, quod debeat generaliter intendere, omne impedimentum reconciliationis afferre; sufficit enim avertere impedimentum hic & nunc occurrens, quoad valorem, cuius ratio assignata est; quia sufficit dolor particularis.

Respondeo ad II. utique non obstatre dolori universalis oblivionem, nego autem, esse necessarium dolorem universalem. Hinc concedo antec. quod non indiget probatione ulteriori, si semel probetur, attritionem esse necessariò universalem, quod tam parùm probabitur, quam parùm hujus peccati turpitude cum alterius semper convenit. Hic est lapis ille offensionis ex Tridentino, quem nunquam movebunt Adversarii, quia tamen antec. probatur, distinguo Maj. debet destruere id, cuius

memoriam habet, conc. Maj. etiam ignorata, nego Maj. responsio ad min. patet ex dictis in Resp. I. ad prob. illius Maj. Resp. eam, ut jacet, prorsus non esse ad rem, quia nulla est paritas; hinc min. est falsa; quia attritio etiam juxta hunc Adversarium, non communem aliorum, non debet procedere ex amore efficaci illius boni, sicut contritio perfecta, quæ vel ideo necessariò est universalis, & alias hæc paritas probaret nimium, requiri scilicet semper motivum Charitatis.

80 Ad III. Respondeo conc. primum membrum, pœnitens hic & nunc vult tantum dolere de peccatis occurrentibus, sed præcisè ob eorum deformitatem. Ad II. membrum nego ejus suppositum, quod sibi debeat propondere alia peccata, respectu quorum se habere test *negativè*, & ideo non vult de iis non dolere *positivè*, sed mere *negativè*; quia non potest dolere de eo, quod ignorat, nec tenetur ad attritionem universalem, cui omne peccatum etiam invincibiliter ignoratum includeretur: consequenter posita attritione ex motivo particulari, quæ sufficiens est ad valorem, & non posita universaliter, quam AA. contra Tridentinum requirunt, potest esse Sacramentum validum, & tamen informe. Pro quo semper recurrendum est ad Tridentinum cit. & specialiter quæ habentur post numeros citatos: *Illam verò attritionem imperfectam, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gebemæ metu* &c. ubi propositio est disjunctiva, ita, ut alterutra sufficiat cum Sacramento, quo ergo fundamento Adversarii requirunt dolorem semper universalem? ex quo meum argumentum est hoc: sufficit ad Sacramentum Peccnitiaz tanquam pars & dispositio nuda attritio ex turpitudine præcisè peccati: ergo hoc ipso datur Sacramentum validum & informe. Anteced. est Trident. consequent. ex hac tñus pro, & contra dictis patet.

Quæ-

**Quæres I. An Pœnitentia se extendat ad omnia pro-r-81
sùs peccata?**

Status quæstionis aliàs est hic, an detur peccatum aliquod irremissibile? & hoc potest variè intelligi. I. An DÉUS omnibus det auxilium sufficiens, ut quilibet pœnitere possit? quod si neget, peccatum erit saltem ex defecetu auxiliī irremissibile, atque hoc pertinet ad tractatum de Gratia. II. An non DÉUS possit facere decretum, quòd e.g. tertium, aut quartum mortale non amplius remittat, in quo se fundant illi, qui dicunt, & prædicant publicè, esse certum numerum peccatorum, quo completo non detur amplius venia. III. An non vi S. Scripturæ sint aliqua peccata, quæ non remittuntur; nam Apostolus, ex quo Hæretici Antiquiores traxeré scandalum, ad *Hebreos* 6. v. 4. ait: *Impossible est enim, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam domum cœlestis, & participes facti sunt Spiritus Sancti.* Et v. 5. *Gustaverunt nibilo minus bonum DEI Verbum, virtutésque seculi venturi.* v. 6. *Et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Et *Lucæ* 12. Christus Dominus ipse ait, *blasphemiam in Spiritum Sanctum non remittendam.* Et *I. Joan. 5. v. 16.* dicitur: *Est peccatum ad mortem, non pro illo, dico, ut oret quis.* Sed tamen

Dico: Pœnitentia se extendit ad omne peccatum.⁸² Est S. Thomæ hic quæst. 86. art. 1. per totum, & aliàs ferme communis.

Prob. I. Post Baptismū lapsus per veram pœnitentiam semper potest renovari: ergo pœnitentia se extendit ad omne peccatum. Antec. est ex Concilio Lateranensi, quod refertur in cap. firmiter 1. de Summa Trinit. ubi in §. 2. ad finem dicitur: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest NB. semper pœnitentiam reparari.* Idem docet Tridentinum Seff. 14. de necessitate pœnitentie. cap. 1. & Canon. 1. & aliàs patet ex mul-

tis Scripturæ textibus, ex quibus sufficit ille *Ezechielis 33. v. 11.* ubi DEUS solenni quasi juramento suam misericordiam firmat: *Vivo ego dicit Dominus DEUS, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua - - convertimini, convertimini &c.* quod non verificaretur, si DEUS aliqua peccata non remitteret.

II. Ex S. Thoma cit. loc. Sententia contra Misericordiam DEI, Christi merita, & Passionem est injuriosa: ergo est rejicienda. Antec. est S. Thomæ in Corp. imò ait ibi, erroneum esse dicere, aliquod peccatum non posse remitti per poenitentiam. *Quia I. repugnat Divina Misericordia.* II. *quia hoc derogaret virtuti Passionis Christi, cùm scriptum sit 1. Joan. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non solum nostris, sed etiam totius mundi.*

Ex quibus inferes, non dari peccatum intrinsecè, & ex natura irremissibile; quia tale peccatum pugnat contra perfectiones Divinas, Clementiam, Misericordiam, imò ipsam Omnipotentiam, & tollit dominium DEI in cor hominis contra illud Proverb. 21. *Cor Regis in manu DEI, & quocunque voluerit, vertet illud:* ergo si daretur peccatum ex natura sua irremissibile, DEUS non posset illas perfectiones exercere, quod est absurdum; cùm enim peccatum sit offensa DEI, cur DEUS non posset remittere illam offensam per infusionem gratiæ, & spontaneam condonationem, intrinsecam tamen quoad effectum communicatum, etiam homine nihil agente? quæ est implicantia? Si enim juxta Recentiores & Scotistas DEUS potest merè extrinsecè condonare peccatum, quare non remittere per infusionem gratiæ? Unde Suarez hic disp. 8. q. 86. art. 5. allegans S. Thomam, dicentem, *contrarium esse erroneum, ait: intelligo autem esse hereticum, quia est contra definitiones Conciliorum, & Scripturarum: denique infert post alia, esse id fide certum.*

Di-

Dices cum Cardinale de Lugo hic *disp. 8. scđ. i. num. 4. 8,* qui Author quidem admittit, defacto non dari peccatum irremissibile, posse tamen dari in alia rerum serie; nam posset DEUS nolle remittere peccatum etiam homini revera pœnitenti, & posset hoc decretum alicui revelare cum obligatione, credendi illam revelationem. Jam, si non crederet revelationi sufficienter propositæ, peccaret graviter contra fidem: sed illud peccatum ex principiis intrinsecis esset irremissibile per pœnitentiam: ergo datur peccatum ab intrinseco irremissibile. Prob. min. Si posset remitti, esset falsa revelatio de non remittendo: cum ergo essentialiter repugnet, poni illud peccatum, & remitti posse, erit illud peccatum ex prædicatis essentialibus irremissibile. Addit dein, posse aliquem defacto ex ignorantia, vel conscientia erronea existimare, DEUM habere tale decretum, idque revelasse, & tamen non credere; hujus peccatum esset essentialiter irremissibile: ergo pro hac serie saltem per accidens dari potest peccatum ab intrinseco irremissibile.

Respondeo I. Ex hoc discursu etiam inferri potest, dari peccatum intrinsecè impunibile, si DEUS alicui revelaret, se nullum ejusdem peccatum puniturum esse, & ille crederet revelationi, & sic liberè peccaret, quod tamen est falsum. II. Sequeretur, ut Haunoldus arguit, peccatum ab intrinseco remissibile, posse fieri ab intrinseco irremissibile, quod videtur contradictionem; illatum probatur: faciat DEUS hoc decretum: *Non remittam Petro ullum peccatum ex intrinsecè remissilibus:* jam si Petrus dependenter ab hoc decreto peccaret, peccatum ex se intrinsecè remissibile, fieret intrinsecè irremissibile, quo quid absurdius dici posset, non video.

Respondeo III. Transeat interim, posse DEUM talę decretum habere, & revelare, neg. min. assumptam;

Nn

nam

nam illud peccatum esset solùm extrinsecè irremissibile, quatenus substat decreto Divino, extrinsecè denominanti, manentibùs prædicatîs intrinsecis; sicut si DEUS alii cui revelaret æternam damnationem, vi illius decreti, & revelationis Beatitudo non fieret intrinsecè ex prædicatis intrinsecis inquisibilis: sed solùm extrinsecè, quod in aliis instantiis confirmari potest e. g. in evidētia in attestante, quæ non immutat intrinsecè objectum fidei &c. transmisī possibilitatem; quia multi negant, fieri posse, sicut in materia de spe non pauci negant, DEUM posse revelare damnationem æternam; quia cogeret ad desperationem; quod etiam in casu Lugonis posset contingere; id autem videtur repugnare Clementiæ, & Misericordiæ Divinæ, & Voluntati salvandi homines. Sed quidquid sit, sufficit stare rationibus de irremissibilitate solùm extrinseca.

84 Ad primum illud in statu quæstionis dico interim, DEUM omnibus dare auxilia sufficientia, quibùs si rectè utantur, potest quilibet se disponere ad alia, & alia, & denique ad conversionem, & salutem. Ad II. respondeo, posse utique DEUM nolle post peccatum grave, vel plura, ampliùs gratiam dare, ad quam non tenetur, peccatum tamen ex se esset remissibile, & reverà objectum Pœnitentiæ; sic etiam admitto, DEUM posse certum numerum peccatorum statuere, quo impleto, non ampliùs misereatur, ideoque tale peccatum non posset per Pœnitentiā deleri, non ex sua natura, sed tantum ex defectu gratiæ, justè negatæ. An verò defacto tale decretum existet, dubium est; affirmativam tenent Medina, Godoy, & Contenson, aliisque Thomistæ, & Antiquiores Rigoristæ, alii tamen negant ex fundamento S. Thomæ allegati, & S. Scripturæ, ubi DEUS toties peccatores ad Pœnitentiā invitat, utique non ad impossibilem? qualis esset fine.

sine sufficienti auxilio : tenetur ergò DEUS præcipiens Pœnitentiam dare necessaria , saltem sufficientia.

Potest confirmari ex illo *Math. 18.* ubi Christus Petrus interroganti, quoties proximo ignoscendum sit, respondit : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies :* si ergò DEUS hoc à nobis exigit, nec ille habebit certum numerum ; nam hic sumpsit numerum certum pro incerto. Hæc quoad auxilia sufficientia, de efficacibus fortè aliter dicendum esset.

Ad III. respondet S. Thomas *cit. loc. ad 2. & 3.* tales textus accipiendos esse in sensu mitiori, qualiter ibi explicat verba S. Augustini : est ergò illud Apostoli *impossibile* idem, ac : *vix fieri potest, oppidò difficile est &c.* Ita etiam S. Thomas *ad 2. de peccato in Spiritum Sanctum* respondit, vel ait ab initio, per peccatum in Spiritum Sanctum posse intelligi finalem pœnitentiam , quæ utique remitti non potest, cùm post finem vitæ non amplius sit remissio peccatorum , & in hoc sensu accipienda sunt verba S. Joannis, unde est illud terribile fulmen : *Vos in peccato vestro moriemini*, scilicet qui toties à Christo vocati renuerunt, nec usi sunt gratiis debitō, & ferventī modō.

Nec dicas, DEUM sæpè non ignoscere reverà pœ-85 nitentibus, ut *Hebreorum cap.12. v.17.* dicitur : *Reprobatus est Esau, non enim invenerit pœnitentia locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* Et *Machab. 9. Antiochus scelestus orabat Dominum, à quo non erat consecuturus pœnitentiam.* Ex his Novatus, & cum illo Novatiani discipuli errorem suum sumpserunt, aliqua, & aliquibus non remitti peccata ; & hoc sibi objicit S. Thomas *cit. art. I.*

Respondeo ad primum, Esau non verè pœnituisse, cùm haberet intentionem occidendi fratrem, dixit enim, *venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Potius ergò deflevit jacturam primogeniturae. Antio-

chus autem magis voluit propter infirmitatem, quam
propter offenditam DEI.

86 Discuti etiam posset, an unum peccatum sine altero remitti possit? de via ordinaria id fieri non posse, colligo ex Tridentino *Sess. 6. de Justificat. Can. 11.* ubi feriuntur dicentes: *Homines justificari, vel sola imputatione, vel NB. sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, que in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur,* - - Requiritur ergo pro moderna Providentia essentialiter gratia; cumque illa stare non possit cum ullo peccato, expulso uno, expelletur & alterum. An verò absolutè repugnet, per condonationem extrinsecam remissio unius, relictio altero, dependet à questione, an peccatum debeat essentialiter remitti per infusionem gratiae? Atque hoc totum pertinet ad necessitatem gratiae, cuius necessitatem absolutam defendunt Thomistæ; negant Scotus, Suarez, multique ex Recentioribus, sed nolo mittere falcam in messem alienam, donec mea fiat.

87 Quæres II. Quæ sit efficacia Poenitentia ad restituendas virtutes deperditas, & merita?

Suppono I. Quod deletis culpa mortali per Poenitentiam, & reatu poenæ æternæ, non semper deleatur omnis reatus poenæ temporalis vel in hac, vel in altera vita. Hæc opinio mihi videtur esse de fide, & clarè definita in Tridentinō *Sess. 6. de justificat. cap. 14.* ubi dat disparitatem inter Poenitentiam, & Baptismum, quod per hunc remittatur omnis poena, non per Poenitentiam, ideo satisfactionem esse necessariam NB. non pro poena æterna, sed temporali. Idem declarat *Sess. 14. Can. 8.* estque alias ex Scriptura certum, ut Tridentinum *primo loc.* notat. Nam Adamus, David &c. dimissâ illi inobedientiæ, & huic adulterii, & homicidii culpâ, ad poenas temporales condemnati sunt; Adamus ad labores, & sudores; David

vid autem punitus fuit morte Filii, ex adulterio concepti. Hocque ex eo catholicè certissimum est; quia alias frustraneum esset Purgatorium. Interim tamen si actus contritionis esset valde intensus, & undique perfectus, excluens affectum ad omne prorsus peccatum, deleret etiam omnem poenam temporalem, qualis fuisse colligitur ex Scriptura actus Latronis poenitentis in Cruce. Cur verò non per quamlibet contritionem deleatur tota poena temporalis, rationem dat S. Thomas 3. part. quest. 86. art. 4. ad 1. in fine, quia ordinariè remanet abduc aliqua adhæsio, scilicet inordinata conversio ad creaturam.

Suppono II. Quod peccatum semel remissum non redeat per subsequens, nec quoad culpam, nec quoad poenam. Ita expressè S. Thomas hic quest. 88. art. 1. per totum, ubi in Corp. rem multis, clarisque verbis explicat, addit tamen in fine, quod peccatum remissum secundum quid possit redire in hoc sensu, quatenus peccatum remissum virtualiter in peccato sequenti continetur; nam peccatum sequens aggravatur ex prioribus: *Multò enim magis*, ait S. Doctor, *contennitur DEL bonitas, si post remissionem prioris peccati, secundo peccatum iteretur, quanto majus est beneficium, peccatum remittere, quam peccatorem sustinere*: Continet ergo subsequens majorem contemptum, saltem virtualiter talem, & ingratitudinem. Ratio autem, cur non simpliciter redeat, est, quod absolute destruatur, ut Ecclesia, teste hic Suarezio, sèpè contra Hæreticos definit. Estque paritas ex Tridentino in Decret. Seff. 5. de peccato Originali, quod per Baptismum peccatum Originale perfectè, & simpliciter destruatur; alias si Baptizatus peccaret mortaliter, rediret Originale, sicutque deberet iterum baptizari, & sic ulterius. Imò communiter eò usque extenditur, ut absolute impossibile sit, redire peccatum, propter gratiam tanquam formam absolute deletivam.

peccati, qualis non esset, si DEUS sibi reservaret jus sub conditione relapsus, iterum imputandi peccata: esset ergo gratia tantum conditionate remissiva peccati, quod pugnat contra efficaciam gratiae sanctificantis, & principia communia. Accedit, quod in tali casu peccata remissa remanerent tam in acceptatione Divina, & indignatione quadam restante, quod pugnat cum perfecta amicitia, quam gratia sanctificans inter DEUM, & poenitentem restituit. Vertitur ergo questio alia, an per poenitentiam reviviscant virtutes, & merita? pro cuius majori intelligentia

Notandum est, quæri hic, an quis anteà vixisset, sanctè, virtutes, meritaque fecisset plurima, posteà verò ex fragilitate lapsus esset in mortale, iterum tamen resurgeret per poenitentiam, an, si priùs habuisset gratiam ut sepius, habitus virtutum intensi in eodem gradu reviviscerent, an solùm secundùm mensuram contritionis, tanquam dispositionis præsentis? pro quo

89 Dico I. In genere, merita olim in gratia, & Charitate facta non destrui per peccatum, ita, ut prorsus perent. Est communis, & verè Catholica, quam ideò Eximius P. Suarez aut de fide, aut fidei proximam judicat.

Probatur I. ex Sac. Scriptura ab aliis, præsertim ex Ezech. 25. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua:* Sed plurimum noceret, si gratia, & merita ita per illam extinguerentur, ut nullo modo reviviscerent: ergo impietas impii non nocebit. Hic textus, cùm verificari possit de quocunque peccatore, qui nunquam quid boni gessit, huc non quadrat, quia id solùm probat, DEUM peccata priora post poenitentiam non respicere: utrè contigit in Latrone, cui non nocuerunt furta, & Latrocinia priora.

Pro-

Prob. II. Aliter ex Apostolo ad Galatas 3. v. 3. & 4.
Sic stulti estis, ut cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Hoc ultimum S. Anselmus in hunc locum ita explicat: *Sine causa passi estis, si in errore perseveretis: non sine causa, si resipiscatis: ergo passio prior post Pœnitentiam valet.* III. Idem Apostolus 1. Cor. 15. v. ult. dicit: *Abundate in omni opere bono NB. scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Et ad Hebreos cap. 6. v. 10. ubi post alia sic habet: *non enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri* &c. quæ Tridentinum Sess. 6. cap. 16. de justificatis post lapsum applicat, aitque: *Nihil ipsis justificatis NB. deesse credendum est, quod minus plenè illis quidem operibus, quæ in DEO sunt facta, Divine Legi pro his usus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse—censeantur.*

Ubi tamen duo requiruntur I. Ut opera facta sint in gratia mediante auxilio supernaturali; aliud est de operibus merè naturaliter honestis sine charitate, ut sæpè fit; quia cùm illa opera nunquam fuerint meritoria, non possunt ad meritum reviviscere, sicut nec opera prorsùs mortua. II. Ut quis taliter antè meritus, discedat in gratia, alias merita manent mortificata. Insuper hodiè communiter conveniunt Theologi, quòd merita reviviscant ad prœmium substantiale, seu essentiale in ordine ad vitam æternam, & visionem beatificam, non tantùm ad prœmium accidentale, quod consisteret præcisè in gaudio quodam accidentalì de operibus olim elicitis, ut docere videtur S. Th. hic quæst. 89. art. 5. ad 3. ubi ait: *Quod ille, qui per Pœnitentiam resurgit in minori Charitate, consequetur quidem prœmium essentiale secundum quantitatem Charitatis, in qua inventur: babebit tamen gaudium majus de operibus in prima Charitate factis, quam de operibus, que in secunda fecit, NB. quod per-*

pertinet ad prœmium accidentale. Hic textus sincerè relatus, est lapis offensionis, dum alii reviviscentiam meritorum ad prœmium essentiale extollant, S. Thomas autem ad *accidentale* referat. Et reverà hæc opinio est S. Thomæ si-
ve Lib. Sentent. sive *Summam. excutias.* In hoc negotio se-
quor Theolog. Salisburg. hic, nihilque decido, sed refero
argumenta alterius Sententiaz. Et

90 Dico II. Probabiliter cum aliis, merita simpliciter, &
totaliter reviviscere.

Ratio desumitur ex textibus S. Scripturæ, & Tridentini citati, qui universales sunt, & absque exceptione di-
cunt, merita, & gratiam reviviscere. II. Ex proprietate Verbi; nam reviviscere, est vitam, ut antea fuit, recipere: sed nisi gratia prior, & merita in tanta intensione redeant, dici non possunt propriè reviviscere.

III. Ex titulo amicitiæ restauratæ; nam videtur incongruum, ut DEUS amicum reconciliatum tamen suô modô puniat propter peccatum remissum: sed hoc verè in altera Sententia contingeret, si DEUS in æternum propter peccatum prius subtraheret gradus gratiæ, & gloriæ, sicut e. g. Princeps non censeretur, ministrum prius peccantem absolutè recipere in gratiam, si ipsi stipendium minueret, aut ejus operâ non uteretur.

91 Dices I. à pari: Meritis Christi universim non corre-
spondebat aliud prœmium, quàm singulis seorsim, & suf-
ficiebat, quòd prœmium haberent, ex pluribus titulis debitum: ergò etiam non respondet aliud prœmium me-
ritis humanis antè, & in præsenti, sufficitque, quòd prœ-
mium detur ex pluribus titulis; quia sic jam fit æstimabi-
lius.

Confirmatur: Magis æstimatur laurus, si ex dupli-
titulo datur e. g. propter victoriam, & propter excellen-
tiam in arte practica: ergò etiam &c.

Re-

Respondeo ad primum ex tract. de Incarnat. quodvis Christi meritum fuisse simpliciter infiniti valoris, & consequenter adæquasse omne preemium possibile, unde nihil decedit merito Christi, sicut decederet meritis justi, si non cuius responderet preemium proportionatum, nec sufficit illa pluralitas tituli, quæ nihil confert. Unde confirmatione non est ad rem; quia in humanis, rebusque vanis multiplicatio titulorum magis aestimatur, etsi præter solum plausum nihil lucri afferat; aliud est in supernaturalibus, ubi attenditur augmentum, & intensio Visionis Divinæ. Dein posset etiam negari, in illis rebus sufficere plures titulos, nisi & preemium respondeat; plus utique meretur ille, qui pro Principe & gladio, & calamô certat, quam qui tantum alterutrum? Denique magis excitat fideliæ ad opera meritoria, si sciant, se preemium proportionatum accepturos, etsi lapsi fuerint, cum merita reviviscant.

Dices II. Conformiter Doctrinæ communi: juxta 92 Tridentinum cit. Sess. 6. de Justificatione. cap. 7. gratiam justificationis adulto dari secundum propriam cujuscunque dispositiōnem, & cooperationem: Si enim poenitens sit dispositus ut quatuor, accipiet gratiam ut quatuor, non majorem: ergo nec aliter in reviviscentia meritorum &c.

Respondeo concedendo totum discursum de via ordinaria, & prima justificatione, quæ e.g. datur in homine peccatore, & perseverante in peccatis, ita ut nullum meritum antea habuerit: dein verò convertatur, in quo casu non datur meritorum reviviscentia; quia nullum antea supponitur; acquirit ergo solum gratiam secundum mensuram dispositionis: at verò si gratia, & merita præcesserint, & ille lapsus postea resurgat, non tantum dabitur gratia secundum mensuram dispositionis, sed tota illa prior. Hinc ad prob. dist. ant. Si poenitens dispositus ut

O o


qua-

quatuor, & respondebit gratia ut quatuor, & proportionata dispositioni, quatenus est dispositio, & sic adaequate compleatur, conc. ant. quatenus est removens prohibens respectu prioris gratiae, & meritorum, nego ant. & in hoc sensu consequentiam; id est, dispositio ut tali respondet sua gratia, & insuper resurgit tota gratia prior, quatenus removet peccatum, quae gratiam & merita interea prohibuit, manentia tamen in acceptatione Divina. Ex his colligitur disparitas inter redditum peccatorum, & meritorum, nam illa non manent in acceptatione Divina, sicut merita, & hoc refunditur ultimatè in bonitatem DEI, qui in hoc seculo pronior est ad Misericordiam, quam Justitiam, imò multi cum Theologia Salisburgensi reviviscentiam meritorū non tantum adscribunt Misericordiae, sed etiam Justitiae Providentiali; nec desunt, qui justitiae commutativae attribuant, quod negamus; quia nulla datur in DEO versus hominem obligatio justitiae.

De reviviscentia virtutum, prout aliqua ex his Sententiis placuerit, proportionaliter discurrendum est, ubi solùm attendendum est, an aliquis statim refurgat, vel diu in peccatis hæreat, ita ut habitus vitiōsi inducantur; si primum, resurgent in sua virtute priori juxta secundam Sententiam. Si secundum, erit quoad exercitium major difficultas. Quamvis virtus infusa in esse qualitatis conformetur intensioni gratiae reviviscentis. Apud S. Thomam cit. quest. art. 2. in Corp. ad finem: eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur; Sicut ergo juxta ipsum intensio gratiae semper proportionatur dispositio, ita & gradus virtutum. Hæc de Poenitentia dicta sufficient ad DEI Gloriam, nostramque, & Peccatorum omnium Salutem.

IN OMNIBUS GLORIFICETUR DEUS.

PA-



PARERGA

XX

UNIVERSA THEOLOGIA.

Ex prima Parte Divi Thomæ.

1. *Theologia est tantum moraliter necessaria Ecclesie.*
2. *Non est scientia :*
3. *Neque habitus intrinsecè supernaturals.*
4. *Non manet in patria , sicut*
5. *Nec manet in Hæretico vel Apostata.*
6. *An DEUS tam ut Author nature , quam ut gratia ignorari possit. Problema.*
7. *Esse Divinum non confitit in intelligere radicali , vel actuissimo , sed*
8. *In esse à se perfectissimo.*
9. *Contradictoria sufficienter salvat distinctio virtualis :*
10. *Tam inter essentiam , & naturam ,*
11. *Quam inter attributa , ac essentiam .*
12. *DEUS coëxistit in rebus physicè per operationem .*
13. *Futura sunt DEO præsentia ab eterno objective .*
14. *In visione beatifica de facto superfluent species immensissimè expressa :*
15. *Ultra quas essentialiter requiritur lumen glorie ,*

16. Quocum intellectus operatur ut causa principalis.
17. Videns essentiam intuitivè, debet videre.
18. Non solum omnia attributa, verùm
19. Etiam relationes :
20. Ex hoc tamen DEUM non comprehendit.
21. Datur in DEO scientia ex rigore dicta :
22. Non tam media Recentiorum.
23. Elec̄tio ad gloriam præcedit merito,
24. Reprobatio demerita.
25. Principia Processionum Divinarum sunt intellectus, & voluntas.
26. Angeli nequeunt demonstrari naturaliter.
27. Non cognoscunt certe, & evidenter futura contingentia.
28. Vel secreta cordium.
29. Num Angeli præscindendo ab autoritate possint solo numero distingui? Problema.
30. Sunt in loco physicè per operationem, &
31. Per non distantiam substantia metaphysicè.
32. Peccatum illorum radicaliter spectatum est superbia.
33. Formaliter appetitus unionis hypostaticè.

Ex secunda Parte.

1. Beatitudo objectiva est DEUS,
2. Formalis, an actus intellectus, vel voluntatis? Problema.
3. Non datur exercitium positivum voluntatis liberum, quod esset indifferens.
4. An uero negativum absque ullo actu? Problema.
5. An liceat sequi sententiam probabilem relictâ probabiliori? Problema.
6. Omne peccatum est ideo malum, quia lege prohibitum.
7. In quo consistat formalis malitia peccati commissionis? Problema.

8. Di-

8. *Distinctio specifica peccatorum defumitur ab objecto formaliter spectato.*
9. *Absolvens plures in statu peccati mortali committit plurim peccata; sicut*
10. *Ille, qui unico actus occidit plures.*
11. *An B.V. contraxerit debitum proximum, vel remotum?*
Problema.
12. *An promulgatio, sit de essentia legis,* 65
13. *An à Legislatore humano possint præcipi actus mere interni?*
Problemata.
14. *Licet efficacia gratie sit intrinseca:*
15. *Attamen non tollit libertatem.*
16. *Gratia habitualis est donum physicæ intrinsecum.*
17. *Ac se sola forma justificans:*
18. *Cujus dispositio ultima an sit à se ipsa, vel ab auxilio transsciente?* Problema.
19. *Evidentia in attestante non defrui fit fidem.*
20. *Summus Pontifex est supra Concilium.*
21. *Hinc non valet appellatio ab illo ad Concilium.*
22. *An ille possit sperare, cui revelata est eterna damnatio?*
Problema.
23. *Præceptum charitatis obligat sepius in vita.*
24. *Non datur iustitia commutativa hominis ad DEUM,* 65
vicissim.
25. *Clerici sunt Domini reddituum superflorum.*
26. *Dominium est separabile ab usu in rebus unoconsumptibilibus,*
27. *Se ipsum occidere non licet:*
28. *Neque extradere innocentem petitum à Tyranno.*
29. *An Judex inferior possit condemnare Innocentem, probatum publicè nocentem?* Problema.
30. *Obligatio restituendi non datur in possessore bone fidei,*
31. *Etiam in quantum factus est ditior.*

Ex tertia Parte.

1. *Incarnatio naturaliter cognosci nequit.*
2. *Est DEO, & hominibus summè conveniens.*
3. *Nequit purus homo condigne satisfacere pro peccato mortali.*
4. *Peccatum in ratione offensæ non est infinitum.*
5. *Satisfactio Christi est superabundans,*
6. *Ac infinita:*
7. *An verò sit de rigore Justitie? Problema.*
8. *Si Adam non peccasset, Christus non venisset,*
9. *Etsi quidam alii in DEUM deliquerint.*
10. *Ratio formalis terminandi est subsistencia relativa filii,*
11. *Quæ potest phares naturas simul terminare,*
12. *Et vicissim phares subsistentie increatae eandem naturam effunere.*
13. *In Christo præter gratiam accidentalem*
14. *Datur etiam substantialis*
15. *Proveniens à natura Divina unita.*
16. *Quare peccabilitas nec in sensu compedito,*
17. *Nec diviso unionis hypostaticæ flare potuit.*
18. *Sacramenta novæ Legis etiam causant physicæ gratiam.*
19. *Baptismus submersivus valet:*
20. *Qui cum obice suscepimus, illo remoto, reviviscit physicè.*
21. *Minister Ordinarius Confirmationis est Episcopus.*
22. *Extraordinarius etiam simplex Sacerdos.*
23. *Materia Calicis est vinum de vite:*
24. *An verò etiam, si hoc congelatum sit? Problema.*
25. *Aqua admixta vino convertitur mediæ in Sanguinem Christi.*
26. *Forma hujus Sacramenti consistit essentialiter in verbis: Hic est Calix Sanguinis mei.*
27. *Contritio ordinariè remittit peccata tantum retractata.*
28. *Absolutionem potest remitti peccatum absque ullo actu.*

29. *An peccata negativè dubia sint materia necessaria Confessio-nis?* Problema.
30. *Minister Pœnitentia est Sacerdos.*
31. *An Beata Virgo fit subjectum capax Extrema Unctionis?* Problema.
32. *Episcopatus non est ordo adæquate distinctus à Sacerdotio.*
33. *Sponsalia ante septennium contracta non sunt valida.*
34. *Sponsa peccans cum alio peccat contra Justitiam,*
35. *Non tamen committit adulterium.*
36. *Polyviria est contra naturam.*
37. *An ratio Sacramenti, & ratio contractus possint separari?* Problema.
38. *Summus Pontifex potest dispensare in Matrimonio rato.*

F I N I S.



and the first and second class of citizens
should be equal. Sir
and the first and second class of citizens
should be equal. Sir

and the first and second class of citizens
should be equal. Sir

and the first and second class of citizens
should be equal. Sir

and the first and second class of citizens
should be equal. Sir

and the first and second class of citizens
should be equal. Sir

SIR